1

IO. RVDOLPHI KIESLINGI
S. S. THEOL. LIC. ET IN ACAD. LIPS. P. P.

DE

STABILI PRIMITIVAE ECCLESIAE OPE LITTERARVM COMMVNICATORIARVM CONNVBIO

SOC. IESV BIBL. SEC. COLL. ROM.

LIBER SINGVLARIS

IN QVO

MVLTA SACRAE SCRIPTVRAE, HISTORIAE ECCLESIASTICAE, PATRVM, CONCILIORVM ANTIQVITATVMQVE SANCTIORVM DOCVMENTA ENVCLEANTVR ET NOVIS ILLVSTRANTVR COMMENTATIONIBVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

IN

DVAS PARTES DIVISVS

LIPSIAE
EX OFFICINA CLANNERI
M DCC XLV

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Haud inanem, inutilemque operam me ſuſcipere credidi, argumentum de litteris eccleſiaſticis, quas & canonicas, formatas, pacificasque vulgo appellant hiſtoriae ſacrae conditores, penitius perluſtraturus. Quum enim viderem, quosdam theologos primis tantum digitis hoc attigiſſe litterarum genus, animadverteremque, Romanenſes, ſedulos alias rerum antiquarum indagatores & venatores, illud commentationibus ſuis vix unius quandoque aſſis aeſtimandis, adeo defoedaſſe, ut variis in argumentis, hoc caput obſcurarint magis, quam illuſtrarint, manum illi admovendam eſſe duxi. Accedit, non ſolum FRANCISCVM BERNHAR-

DINVM FERRARIVM, qui non infeliciter hunc occupavit laborem, ſed & recentiorem eccleſiae Romanae promachum, purpuratum aliquando, VINCENTIVM LVDOVICVM GOTTIVM, ex hac eccleſiae primitivae unitate, litterarum communicatoriarum commercio egregie confirmata, ficulnea ſatis, ad ſtabiliendum Romani pontificis primatum, depromere arma. Offendi commemoratos apud auctores, multa ſacri codicis effata, Patrum teſtimonia, & hiſtoriae ſanctioris documenta tam turpiter tractata, ut illa ab his naevis, maculisque frivole aſperſis, repurgare duxerim operae pretium. Cui in rebus hiſtoricis dextre componendis, & argumentis theologicis ſtrenue defendendis, conatui, ut propenſe indulgeant limati rerum ſacrarum aeſtimatores, eſt, quod volo, opto, rogo. Dabam Lipſiae e muſeo, die XXIV. April. Anno MDCCXLV.

Digitized by Google

Pars I.
THEOLOGICO-CRITICA.

§. I.

Quod enixis plane precibus a Deo, patre benigniſſimo, eo tempore, quo ſe pro totius generis humani incolumitate, concordiaque Dei mortaliumque, devovebat, efflagitavit JESVS, ſalutis vindex optimus maximus, ut omnes, quotquot ipſi nomen daturi eſſent, *fideles unum eſſent, quemadmodum tu, Pater, in me, & ego in te, ut ipſi quoque ſint in nobis unum, ut mundus credat, me abs te fuiſſe miſſum;* Io. XVII. 21. Id divinis Jeſu apoſtolis, reliquisque uiris apoſtolicis, & eccleſiae patribus quoque fuit in votis. Plenae ſunt huius deſiderii apoſtolorum epiſtolae, quae hanc mutuam ſocietatem & unitatem omnibus inculcant; plena quoque ſunt huius argumenti patrum ſcripta, quae hoc ſuave totius eccleſiae commendant commercium. Proponit ſalutis noſtrae ſtator exemplar omnium illuſtriſſimum, ſecundum quod haec fidelium unio ſit inſtituenda: *Sicut tu, pater*, inquit, *in me, & ego in te.* Suaviſſima eſt patrem inter & filium coniunctio, in unitate eſſentiae praecipue fundata, quae ſi rectius penſitetur, nos edocet, omnes fideles unum eſſe ſpiritum & unum corpus, cuius diverſa membra hinc & inde diſſita, uno quaſi ſpiritu reguntur, & unius tantum ſpiritus vita & virtute ad vitam ſpiritualem & ingrediendam & conſervandam excitantur, foventur, conſervantur. Summa porro eſt eſſentiae inter patrem, & filium aequalitas. Cave, dixeris, patrem eſſentia aut maieſtate eſſe maiorem prae-

Digitized by Google

ſtantioremque filio. Novum inde, ad ſervandam inter fideles unionem, emergit argumentum, quo omnes Chriſtiani aequali gaudent dignitate & praeſtantia. Nullus eſt dignitatum aut excellentiae ordo. Nullum reliquum eſt, quo quis prae alio glorietur, argumentum. *Omnes idem ſunt in Chriſto.* Gal. III. 28. Evaneſcit hic propudioſa Romanenſium opinio, qua ſibi ex animi ſententia ſtatum aliquem fingunt eccleſiaſticum, conditioni imperii prorſus conformem. Levis eſt de capite viſibili ſententia, quam ſuo expediemus, & ſub incudem vocabimus, loco.

§ II.

Vera tandem nobis communionis traditur ratio, in ſolo Patre & Chriſto, qui unum ſunt, anxie quaerenda & tenaciſſime tenenda. Nulla arctior fingi aut excogitari poteſt neceſſitas illa, quae Deum patrem inter & filium deprehenditur, unione, de qua dicit ſervator: *Ego & pater unum ſumus.* Io. X. 30. Tam arctam & intimam quoque fidelium inculcat Chriſtus neceſſitatem, quam ex verbis Chriſti urget CYPRIANVS ita diſſerendo: *idcirco* dominus inſinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem *ponit & dicit: Ego & pater unum ſumus: ad quam unitatem redigens eccleſiam ſuam, denuo dicit: & erit unus grex & unus paſtor. Si autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt?* a) In vado eſt, in utroque, quod excitavimus ex Joanne, effato, Chriſtum agere de eccleſia ex omnibus, quotquot orbem incolunt, hominibus colligenda, qua in parte FRIDERICO ADOLPHO LAMPIO b) prorſus ſuffragamur. Eccleſia chriſtiana, hoc unitatis clypeo munita, omnes ſuſtulit iniurias, & erecta ſtetit fronte. Parvae admodum Chriſtianorum res, hoc unionis vinculo confirmatae, ſuccrevere, ut eccleſia chriſtiana hac vi unita fortiſſima, quin immo invictiſſima, videretur. Magnae immenſaeque molis opus fuit, chriſtianam condere gentem, quae ex tot hominum diverſi nominis religionisque catervis in unum quaſi coaluit corpus. Gentiles imis ſubmerſi ſuperſtitionis lacunis, nullis commoti adactique fidiculis aut armis, foedas depoſuerunt de Deo rebusque divinis perſuaſiones, & chriſtianis, quos odio plus, quam Vatiniano, proſequebantur, fidem dextram·

a) vid. *ej. Epiſtol. LXIX.* p. 182. Edit. Oxon.
b) vid. *ej. Comment. analyt. exeget.* Tom. II. ad cap. X. v. 30. p. 702. & Tom. III. ad Cap. XVII, v. 21. p. 466.

Digitized by Google

dextramque dederunt. Populi, a moribus inſtitutisque limatiorum hominum adeo remoti, ut praeter ſpeciem humanam nihil humani habere viderentur, divina luce colluſtrati, Chriſto eiusque eccleſiae ſine omni vi externa ſunt aſſociati. Tam repentina mutatio documento eſt longe praeſtantiſſimo, quod vi plane divina chriſtiana doctrina hominum animos emolliat, nec illos ſinat eſſe feros. At enim vero biduí aut tridui fuiſſet haec ſuavis chriſtianorum ſocietas, niſi illa fidei unitate ceu aggere fuiſſet firmata. Quodſi enim uerum eſt, quod certe verum eſſe nouimus, teſte *Tullio; magnum eſſe amicitiae vinculum, ſtudiorum ſimilitudinem:* c) Firmiſſima ſane & longe conſtantiſſima illorum erit ſocietas, qui religionis uniuntur vinculo, illoque ceu nodo connectuntur Gordio. Nihil itaque prius, nihilque ſanctius fuit Chriſti legatis, quam ut fidei, quam diſſeminabant, unitatem eccleſiis hinc & inde conſtitutis traderent, & hac ipſa fidei unione ſororio quaſi nexu vinculoque omnes, quotquot exiſterent, conciliarent & conſociarent eccleſias. Eminent inter alia huius unionis in eccleſia chriſtiana conſervandae media, litterae communionis ſeu communicatoriae, quibus ad ſtabiliendam & ad ſervandam eccleſiae unionem felici cum ſucceſſu uſi ſunt primitivae eccleſiae proceres. Haud inutilem ſuſcipiemus operam, neque Iliada poſt Homerum canemus, hoc argumentum de litteris primitivae eccleſiae, ad unionem inter fideles promovendam & conſervandam, communicatoriis, prolixius pertractaturi.

§. III.

Curae cordique fuit primitivae eccleſiae doctoribus, uniuerſam per totum, qua patet, terrarum orbem eccleſiam arctiſſima coniungere communione & neceſſitate, ut unum, quiuis intelligeret, eſſe Chriſti coetum. Perapte hanc unionem & adſervare & confirmare anniſi ſunt chriſtiani, duobus inprimis modis communioni eccleſiae excellenter inſervientibus. *Primo* haec eccleſiae unio ex literis communionis ſeu communicatoriis innotuit. *Porro* benigna ſuſceptio eorum, qui ab exteris eccleſiis vel peregrinationis vel rerum agendarum cauſſa in alias tranſibant eccleſias, ſatis luculenter docuit, intimam eſſe eccleſiarum chriſtianarum omnium communitatem. Quem *duplicem* communionis inter eccleſias conſervandae *modum* excellenter explanavit LVDOVICVS ELLIES DVPINIVS, adferendo: *communio eccleſiae duobus praecipue modis innoteſcebat:* primo *ex litt-*

c) vid. *ej. Orat. pro Ligario* p. 431. Edit. Froben.

litteris communionis, quas ad ſe invicem ſcribebant, ſecundo *ex benigna ſuſceptione eorum, qui ab exteris veniebant eccleſiis, & ex conceſſa illis communione.* d) De utroque modo, videlicet de litteris primitivae eccleſiae communicatoriis & commendatitiis, nobis erit agendum. Nomen hae litterae ſortiuntur a voce *communio*, quae arctiſſimam diverſas inter partes indicat coniunctionem ſocietatemque. Inde FRANCISCVS BERNHARDINVS FERRARIVS hunc titulum ita nobis explicat: *communicatio catholica nihil aliud erat, quam individuae univerſae Chriſti eccleſiae unio.* e) Si enim attentis conſideras eccleſiae chriſtianae naturam oculis, una tantum eſt eccleſia, quae uno tantum capite & fundamento, videlicet ſalutis reſtauratore, CHRISTO gaudet. Habes itaque diverſa & innumera propemodum membra ad unum corpus conſtituendum rite compoſita. Habes unam domum, unico ſuperſtructam fundamento, multis lapidibus & firmamentis confectam. Inde omnes, quotquot numeraveris fideles Chriſti aſſeclas, unius tantum civitatis & eccleſiae chriſtianae aeſtimandi ſunt inquilini & cives, ut divus PAVLLVS ſcribit: *concives ſanctorum & domeſtici exiſtentes, ſuperſtructi ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, exiſtente imo angulari lapide ipſo Jeſu Chriſto. In quo totum aedificium congruenter coagmentatum creſcit, ut ſit templum ſanctum domino.* Epheſ. II. 20. 21. Quae eccleſiae unitas in fronte *tertii articuli* inſinuatur. Vox *una* quidem in *ſymbolo apoſtolico*, neque vulgari neque *Aquileienſi* a *Rufino* Presbytero expoſito, neque *orientali*, *neque Romano*, ut laudatus DVPINIVS, f) JOANNES PEARSONIVS, g) & JVSTVS FONTANINVS h) Archiepiſcopus Ancyranus, expoſuerunt, nominatim legitur; attamen illa verba; *credo communionem ſanctorum*, quae excitata ſymbola, praeter Aquileienſe, teſtibus FONTANINO i) & GERHARDO JOANNE VOSSIO, k) unanimi retinent conſenſu, licet ſerius ſint addita, ut PEARSONIVS l) & HERMANNVS WITSIVS m) obſervant, hanc eccleſiae unitatem ſatis tuto confirmant. §. IV.

d) vid. ej. Diſſertat. hiſtor. de antiqu. eccleſ. diſcipl. Diſſertat. III. Cap. I. p. 254.
e) vid. ej. Lib. I. Cap VII. de antiq. eccleſ. epiſtol. genere p 39. ſeq.
f) vid. Nouvel. Biblioth. des Aut. eccleſ. Tom. I. table les quatre Anciens ſymbol. p. 13.
g) vid. ej. expoſit. Symb. apoſt. art. X. p. 598.
h) vid. ej. Hiſtor. litterar. Aquilejenſ. Lib. V. Cap. XIV. p. 383. Edit. Rom. 1742.
i) vid l. c. k) vid. ej. Op. Diſſert. I de trib. Symbol. §. XL. p. 512.
l) vid. l. c. Art. IX. p. 619. m) vid. Exercitat. ſacr. in ſymbol. apoſtol. exercit. XXIV. §. XL. p. 412.

Digitized by Google

§. IV.

Nullum propterea cauſſae noſtrae imminet periculum, quod in excitatis ſymbolis vox *una* non legitur. A patribus enim primorum ſaeculorum gravi cum iudicio eſt addita. Nec proprio auſu hanc ſuſceperunt patres quidam mutationem, ſed patrum Nicaenorum auctoritate & ſententia freti, teſte IACOBO USSERIO ARMACHANO n) ſymbolum, quod appellamus apoſtolicum, his additamentis donarunt. GELASIVS CYZICENVS o) in hiſtoria canonum Concilii *Nicaeni* haec tradit: Μία ἐκκλησία ἐν οὐρανοῖς, ἡ αὐτὴ καὶ ἐπὶ γῆς. Εν ταύτῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπαναπαύεται, *una eſt eccleſia in coelo & eadem in terra, & in hac requieſcit Spiritus ſanctus.* Refert nobis EPIPHANIVS p) & tradit: πιςεύομεν εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν, καὶ ἀποςολικὴν ἐκκλησίαν, *credimus in unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam.* Concinit EPIPHANIO CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS q) his verbis: πιςεύομεν εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν. *credimus in unam ſanctam catholicam eccleſiam.* Gaudet eccleſia chriſtiana pereximio, quo *una* compellatur, titulo, ob rationes a natura & indole eccleſiae petitas longe graviſſimas. Una enim eſt omnium fidelium, ad quam vocati ſunt, Epheſ. IV. 4 fides. Eadem ſunt gratiae divinae ſigna & ſigilla, quibus omnes, qui Chriſto nomen dant, initiantur, nutriuntur, confirmantur. Una eſt omnium vocatorum ſpes, Epheſ. IV. 4. unum omnium charitatis vinculum, Epheſ. IV, 3. Vna denique regiminis forma, quam a Chriſto capite ſuo receperunt. Quam fidei & cultus rationem, ad unionem & eccleſiae communionem tam neceſſariam eſſe, ut, ſi illam omiſeris, omnis communionis exſpiret nervus, maximo cum veritatis firmamento urget IOSEPHVS BINGHAMVS. r) Minio digna eſt St. IRENAEI s) in hanc eccleſiae unitatem commentatio, quae ita eſt literis conſignata: Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα, καὶ ταύτην τὴν πίςιν, ὡς προέφαμεν, ἡ Ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα, καὶ ὁμοίως πιςεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει, καὶ παραδίδωσιν,

 ὡς

n) vid ej. lib de Symbol. p 14. Edit. Oxon.
o) vid Harduin. Act. Concil. Tom. I p. 42 p) vid. ej. Ancor. ſ. CXX. p. 123.
q) vid. ej. Oper. in Symbol. Hieroſolymit. p. 4. Edit. Tutt Pariſ. 1720.
r) vid. Orig. Eccleſ. or the antiquities of the chriſtian Church Vol. VII. Sect. 8. p. 45. ſeq.
s) vid. Hæreſ. Lib. I. Cap. III. p. 46. Edit. Oxon.

ὡς ἓν ςόμα κεκτημένη. *Hanc praedicationem cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum praediximus, eccleſia, & quidem in univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans: & ſimiliter credit iis, videlicet quaſi unam animam habens, & unum cor, & conſonanter haec praedicat, & docet, & tradit, quaſi unum poſſidens os.* Satis aſſecutus eſt IRENAEVS hanc unitatis eccleſiae notam, nec illam tam anguſtis, quibus Romanenſes eccleſiam circumſepire aſſolent, adſtrinxit circulis. Diſſeminata eſt eccleſia chriſtiana per totum terrarum orbem, neque in hac vel illa eccleſia particulari ſolum eſt quaerenda. Limites illi ponunt eccleſiae, qui unitatem eiusdem in coetu aliquo viſibili ſibi inveniſſe videntur, quorum temerarios conatus in *Donatiſtis* iamiam caſtigavit St. AVGVSTINVS t) qui ita diſputat: *Scriptum eſt, inquiunt, in Canticis Canticorum, ſponſa, id eſt, eccleſia, dicente ad ſponſum; Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi paſcis, ubi cubas in meridie. Hoc eſt unicum teſtimonium, quod pro ſe iſti reſonare arbitrantur, eo, quod Africa in meridiana orbis parte ſit conſtituta. Vnde primum quaero, quomodo Chriſtum interroget eccleſia, ut annuntiet ei, ubi ſit eccleſia: neque enim duae, ſed una eſt. Aut iſti oſtendant, quoniam non negant, haec verba eccleſiam dicere Chriſto, quae ſit eccleſia, quae interrogat, & quae ſit eccleſia, de qua interrogat. Quaerit enim, quo veniat ad ſponſum ſuum, & dicit ei, annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi paſcis, ubi cubas in meridie. Adhuc enim iſta eccleſia eſt, quae loquitur, & quaerit, ubi ſit in meridie eccleſia. Neque enim interrogat, ubi paſcis, ubi cubas, & ei reſpondetur, in meridie, tanquam ſponſus reſpondeat; in meridie paſco, in meridie cubo: ſed omnia iſta verba ad interrogationem pertinent, ubi paſcis, ubi cubas in meridie? Adhuc enim ipſa dicit, ne forte fiam ſicut operta ſuper greges ſodalium tuorum. Iam vero ille reſpondet, niſi cognoueris temetipſam, o decora inter mulieres, & cetera. Non ergo his verbis oſtenditur, in ſola parte meridiana eſſe eccleſiam, ſed in aliis mundi partibus conſtituta.* Recte nunc colligimus, unam tantum eccleſiam eſſe veram, quae unitatis gaudet nomine, & nullam praeter hanc unam verae eccleſiae ſe exornare poſſe titulo. Vti vero haec fidei, & doctrinae conformitas, qua nihil nomine chriſtiano eſt dignius atque excellentius, ab ipſis apo-

t) vid. ej. Oper. Tom. IX. Lib. de Unitate Eccleſ. Cap. XVI. p. 248. Edit. Bened.

Digitized by Google

apoſtolis fuit tradita, & eccleſiae epiſcopis presbyteriſque paſſim conſtitutis ſollicite demandata: ita primitivi chriſtiani ſuarum duxerunt eſſe partium, ut hanc doctrinae & morum formam tenaciſſime adſervarent. Haud immemores fuerunt Paullini effati: *Studentes ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & unus ſpiritus, ſicut & vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtrae. Vnus dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus vobis* Epheſ. IV. 3. 6. Quae Paulli verba Sr. IGNATIVS, cuius epiſtolas, praeter IACOBVM VSSERIVM & VOSSIVM, ſedulo quidem vindicavit adverſus LARROQVANVM, u) DALLAEVM, aliosque non obeſae naris viros, ſed tamen non omni ex parte ab acutis adverſariorum dubiis liberavit IO. PEARSONIVS, x) excellenter diluit. Id ſibi negotii datum eſſe credidit, quem dixi, IGNATIVS, ut fideles eccleſiae Philadelphienſis cives ad fidei unitatem diligentiſſime tenendam ſequentibus adhortaretur verbis: Ἐπείπερ καὶ εἷς ἀγέννητος ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ, καὶ εἷς μονογενὴς υἱὸς, Θεὸς, λόγος καὶ ἄνθρωπος, καὶ εἷς ὁ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ἓν δὲ καὶ τὸ κήρυγμα, καὶ ἡ πίστις μία, καὶ τὸ βάπτισμα ἕν. Καὶ μία ἡ ἐκκλησία, ἣν ἱδρύσαντο οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι ἀπὸ περάτων ἕως περάτων ἐν τῷ αἵματι τοῦ χριστοῦ οἰκείοις ἱδρῶσι καὶ πόνοις. Καὶ ὑμᾶς οὖν χρὴ, ὡς λαὸν περιούσιον καὶ ἔθνος ἅγιον ἐν ὁμονοίᾳ πάντα ἐν χριστῷ ἐπιτελεῖν. *Quandoquidem & unus eſt ingenitus Deus & pater, & unus unigenitus filius Deus, verbum, atque homo, & unus paracletus, ſpiritus veritatis, una quoque praedicatio, & fides una, & unum baptiſma, & una eccleſia, quam ſuis ſudoribus & laboribus fundarunt ſancti apoſtoli a finibus terrae usque ad fines in ſanguine Chriſti. Et vos itaque oportet, ut populum acceptabilem & gentem ſanctam, omnia perficere concordibus animis in Chriſto* y).

§. V.

Attenta ſi haec IGNATII, ſi credere fas eſt, ANTIOCHENI verba contemplatione perluſtramus, veritati quidem ſunt conſentanea, modo ſe tanti viri tuerentur auctoritate, & non indicium ſolum,

u) vid. ej. Obſervat. in Ignatianas Pearſonii vindicias Edit. 1674.

x) vid. Vindic. Epiſtolar. S. Ignatii Cantabrigæ edit. 1672.

y) vid. Coteler. Patr. S. Apoſtol. Vol. II, Epiſt. II. Ignatii ad Philadelphenos. p. 80.

Digitized by Google

ſolum, ſed veritatis de ſuo auctore proderent teſtimonium. Rationes, quibus harum epiſtolarum auctoritatem infregerunt viri exculti ſatis iudicii, quos inter eſt Ven. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, z) ita ſunt comparatae, ut dubiam de auctore facile reddant mentem. Medium alii Critici cum beatis tenuiſſe exiſtimantur, cum ANDREA RIVETO, a) CASIMIRO OUDINO, b) & Cl. CHRISTOPHORO BEYERO, c) qui poſtremus multum huic ſalebroſo, de IGNATII martyrio & epiſtolis, argumento attulit lucis, ſtatuentes, bonis admixta eſſe mala, ut in ceteris, ita & in hac epiſtola, quam procul dubio iunior IGNATIO, interpolatrixque tractaſſet manus. In ea propemodum ſententia accuratiores viri PETAVIVS, VOSSIVS, GROTIVS, HEINSIVS, HAMMONDVS, & PEARSONIVS conſpirant, ſeptem priores, ad quas noſtra, de qua agimus, ſpectat, epiſtolas non omni ſuffragio eſſe privandas. Aſt ferat aliquis ſententiam, & hanc dirimat litem, erit nobis magnus Apollo. Quod ſi uero id darem acutis, quos compellavi, Criticis, has epiſtolas in rubro IGNATII, ſed in nigro recentioris aevi ſcriptoris prodere nomen, hoc tamen ab illis me impetraturum eſſe ſpero, harum epiſtolarum auctorem ſcriptoribus eccleſiaſticis eſſe accenſendum, eumque multis in argumentis cum veritatis firmamento & iudicii acumine ſcripſiſſe. Saltem, quod adduxi, effatum, teſſera non eſt privandum. Commendat IGNATIVS, aut qui ſub hoc glorioſi nominis peplo latet ſcriptor, hanc unitatem Philadelphienſibus, eosque ardentiſſimis rogat precibus, ut arctiſſima, quibus totam eccleſiam Chriſtus in unum redegit corpus, vincula ſancte colant, perpetuoque reputent, hanc eccleſiam Chriſti merito, apoſtolorumque miniſterio eſſe fundatam, & tam firmiter quidem fundatam, ut etiam inferorum portae illam ſubvertere non valeant, Matth. XVI, 18. Quin & ipſorum Apoſtolorum in tradenda fidei doctrina unitas Chriſtianis ob oculos erat ponenda. Offenderant ipſi in Apoſtolis & primis Chriſtianis hoc fidei & doctrinae exemplar, ſummamque omnium fidelium communionem, & ex hoc exemplo ſibi id, quod officii ſui requirebat ratio, capere poterant. Tradit enim

ſanctus

z) vid. Act. Erudit ad ann. 1710. p. 196. ſeq. conf. Conſpect. Reipubl. litterar. Cap. VII. §. XLIV. ſeq. p. 432. ſeq.

a) vid. ej. Critic. S. Lib. II. Cap. II. p. 185.

b) vid. ej. Comment. de Script. Eccleſiaſt. Tom. I. Cap. V. p. 89. ſeq.

c) vid. ej. Diſſertat. I, Hiſtor. de Ignatio veritat. confeſſor. & martyr. §. XXVII. p. 58.

Digitized by Google

ſanctus Lucas: *Vacabant Apoſtolorum doctrinae fideles, communioni, panique frangendo, & ſupplicationibus.* Act. II, 42. Bene obſervant GUILIELMVS BEVERIDGIVS d) & B. IO. GUIL. IANVS, e) hanc apoſtolicam communionem eſſe exemplo & documento, quam unanimi conſenſu & ſtabili connubio fideles inter ſeſe fuerint iuncti; quae fidelium unitas toti eccleſiae Chriſtianae debet eſſe incitamento longe efficaciſſimo ad pacem & unionem inter omnes Chriſti diſcipulos & fideles conſtanter colendam. BEVERIDGIO omni ex parte ſuffragatur GVILIELMVS SCHERLOKIVS f), qui unionem, quae fidei & eccleſiae Chriſtianae eſt anima, ad naturam & indolem eccleſiae maximo cum firmamento requirit. Tria potiſſimum laudatus SCHERLOKIVS ad muniendam eccleſiae unitatem conſtituit momenta. *Primo* urget unitatem fidei, qua ſummus in rebus fidei adeſſe debet conſenſus. Articuli enim fidei fundamentales concatenato inter ſeſe iuncti ſunt nexu, periculumque eſt, ne, ſi hic vel ille articulus ſua privetur virtute & pondere, reliqui penitus corruant, vel ſaltem labefactentur. Repugnant huic unitati fidei inanes levesque de rebus fidei diſceptationes; exitium autem pariunt contrariae, quae fidei fundamentum attingunt, ſententiae. *Secundo* eccleſiae unitas ſummam praeſupponit in cultu, Deo deferendo, conformitatem, ita quidem, ut Deum & ratione & revelatione ſatis cognitum ea, quam praeſcripſit, ratione colamus, & adoremus, neutiquam vero cultum in ignobilius aliquod adorationis transferamus objectum. Apparet hoc ex argumento, quam longe Romanenſes ab hac eccleſiae fideique unitate recedant, dum creaturis divinum præſtant cultum. *Tertio* requiritur mutuum amoris, caritatis & humanitatis ſtudium. Ab hac limata SCHERLOKII ſententia ne latum quidem unguem diſcedit ISAACVS BARROVS g), qui unitatem univerſae eccleſiae, Chriſtianae haud male collocat: *primo* in fidei conformitate, & omnium, quae ad fidem ſpectant, doctrinarum conſenſu: *ſecundo* in mutuo caritatis obſequio, quod erga ſe invicem obſervare

B debent

d) vid. Sermons on ſeveral ſubjects Vol. VIII. Serm. on Acts. II. 42. The exemplary Holineſſ. of the primitive Chriſtians p. 395. ſeq. a Lond.

e) vid. ej. Diſſert. de Liturg. eccleſ. evangel. liturg. apoſtol. Act. II. 42. recenſitæ conform. Viteberg. 1721. edit.

f) vid. Sermons Preach dupen ſeveral occaſions Serm. I. Pſalm. CXXII. 6. 7. The nature aud Means of Churche Unity p. 10. ſeq. a Lond.

g) vid. The Works by Iſaac Barrows Vol. I. a Diſcourſe Concerning the unity of the Churche p. 762. ſeq. a Lond. 1722.

debent Chriſtiani: *tertio* in ſpirituali ſeu myſtica, qua omnes fideles unum tantum Chriſti conſtituunt corpus, unione. Ex hoc fonte promanant illa ſanctiſſima, quae omnes fideles obſtringunt, officia, quae, ad conſervandam hanc eccleſiae unionem, omnes Chriſtiani praeſtare debent. Mutua porro inter ipſos debent eſſe pietatis & amoris obſequia, ſine quibus fides elangueſcit. Id ſibi datum eſſe crediderunt primitivi Chriſtiani, qui hoc fidei, cultus & caritatis clypeo tecti, omnes quaſi ſubter denſa teſtudine tulerunt caſus, & non leve eccleſiae Chriſtianae, hac unione, conciliarunt inter paganos ornamentum. Callidus nominis Chriſtiani hoſtis, diabolus, hoc unionis perſentiſcens vinculum, omnes intendit nervos, ut hanc turbaret eccleſiae pacem. Excitavit venenatas plane viperas, haereticos inquam verſutisſimos iuxta ac crudeliſſimos, qui hoc unionis vinculum arrodere & perforare ſategerunt. Aſt in diem fuit, quod incola caliginis ſuſcepit molimen. Quanto enim maior fuit diaboli, in dirimenda Chriſtianorum unione, aſtutia, tanto ſolertior extitit Chriſtianorum in conſervanda eccleſiae unione vigilantia curaque, quod poſtea ex ipſorum demonſtrabimus inſtitutis. Quae adduximus unitatis eccleſiae Chriſtianae vincula, Romanenſibus, ad conſervandam & propagandam eccleſiae unitatem, non ſufficiunt. Inde *quartum* addunt vinculum; *obedientiam* videlicet, ſummo epiſcopo, & eccleſiae praeſuli exhibendam. Audiamus fratres WALENBVRCHIOS h), hunc in modum diſſerentes: *Vnitas eccleſiae vel 1) eſt fidei, qua membra eccleſiae, tanquam corpus Chriſti, uniuntur capiti ſuo Ieſu Chriſto; vel 2) eſt caritatis, qua uniuntur membra eccleſiæ inter ſe, vel 3) eſt obedientiae, qua populus fidelis ſubiicitur legitimis paſtoribus.* Novum itaque addunt momentum, *obedientiam*, qua ſummo paſtori Romano totus Chriſtianorum coetus eſſe debet ſubjectus, haereſeosque & ſeparationis illos poſtulant, qui hoc putatitio Petri ſucceſſori denegant obſequium. Atque vel hoc unico argumento Proteſtantes graviſſimae reos faciunt Romanenſes haereſeos, fruſtra ſuſurrantes, papam eſſe unitatis eccleſiae centrum, & nullam, quo demumcumque loco deliteat, eccleſiam, extra ſedis Romanae vinculum, ſe verae & omni ex parte beatae eccleſiae efferre poſſe titulo. Ipſi ſibi ſomnia fingunt, adſerentes, viſibile illud Romanae eccleſiae caput, capitis inviſibilis Chriſti ſuſtinere vicem. Vti vero cor-

h) vid. Tractat. General. de Controverſ. Lib. I. de Unitat. Eccleſ. Cap. I. p. 7. ſeq.

Digitized by Google

corpus myſticum ſine Chriſto, tanquam capite inuiſibili, ſubſiſtere non poſſit; ita viſibilem in his terris eccleſiam, ſine hoc viſibili duce, ſe minime poſſe tueri, opinantur. Ex hoc fonte tot ab ALBINGENSIBVS, WALDENSIBVS, & HVSSITIS motae ſunt diſceptationes; quin immo recentiores Romanae ſedis defenſores hanc opinionem, quam ceu clavam Herculis ſibi extorqueri haud patiuntur, iterum in ſcenam produxerunt, quos inter ſunt purpuratus NOALLIVS, COLBERTVS, BOSSVETVS, & NESMONDVS, quorum ſtrepitus feliciter compeſcuit IAC. BASNAGIVS i). Operae pretium me facturum eſſe putaverim, ſi EDMVNDI RICHERII k) ſententiam his verbis conceptam excitavero: *Qui obtendunt, monarchicum regimen omnium eſſe optimum, fallunt aut falluntur; minime attendentes, diverſam eſſe rationem temporalis atque ſpiritualis regiminis: quoniam in temporali gubernatione, cum omnia abſoluta poteſtate gerantur, hoc melius ſub regimine Monarchico, quam ullo alio, propter malitiam hominum perficitur. Secus autem res ſe habet in ſpirituali gubernatione eccleſiae, ubi Communio ſanctorum diverſarum gentium totius orbis terrarum non Monarchice cogi aut imperari, ſed duntaxat ſuaviter per actus hierarchicos ſuaderi & ſtabiliri poteſt. Quam ob rem hic obſervandum, non quid hominibus obnoxiis expediens aut bonum videatur, ſed quidnam Chriſtus lege evangelica effici praeceperit: dominatum vero pure monarchicum hoc oraculo interdixiſſe: Reges gentium dominantur, vos autem non ſic, tam certum, quam quod certisſimum eſt.* Prolixe id tractat vir S. Ven. SALOMON DEYLINGIVS l), quem excitaſſe idem eſt ac laudaſſe. Sed calamum hic quieſcere iubeo, quia totum hoc argumentum in altera, quam meditor, commentationis parte, de viſibili eccleſiae capite adverſus GOTTIVM copioſius eſt pertractandum.

§. VI.

Prius autem, quam antiquiſſima iuxta ac ſapientisſima primitivae eccleſiae rimemur inſtituta, operam diligentiamque eo convertimus, ut veram unitatis eccleſiae chriſtianæ indolem naturamque inveſtigemus.

i) Traité des Prejugez faux, & legitimes, ou Reponſe aux lettres, & Inſtructions Paſtorales de quatre Prelats. Chap. VI. de l' unité, de ſon centre, & de ſa nature, §. I. II. p. 59. ſeq. a Delpt. 1701.

k) vid. Hiſtoria Concilior. General. Cap. II. §. XIX. p. 69. ſeq.

l) vid. Miſcell. S.S. Obſervat. Part. IV. Exercitat. VI. de novitate regiminis monarchici in eccleſ. univerſ. p. 420. ſeq.

gemus. Quieſceret calamus, neque argumentum ſatis iam ſatis ad liquidum deductum attingeret, niſi illud dente Theonino paucis abhinc annis arroſiſſet purpuratus VINCENTIVS LVDOVICVS GOTTIVS, rebus mortalium iam defunctus. Prout GOTTIVS ingenio fuit admodum acuto, & ad perſuadendum hominibus credulis perapto; ita in libro m) *de eligenda inter diſſentientes Chriſtianos ſententia*, fucum fecit ingentem, & veritatem Religionis Evangelico-Lutheranae uno quaſi ictu ſubvertere & diruere eſt conatus. Omnem adhibuit operam, ut veritatem eccleſiae Lutheranae infirmaret; inde inſolenter admodum & impudenter ſcribit n): *Reformati eccleſiam Chriſti extinxerunt.* Video, tanto promiſſori, qui magno inſurgit hiatu, ſigna eſſe inferenda, & cauſſam eccleſiae noſtrae ſtrenue agendam. Ne vero praeter caſam curramus, & Delphinum cauda ligemus, ſingula GOTTII argumenta ſub examen accurate erunt vocanda. *Primo* inanem ſtrigoſumque titulum, qui ita ſe habet: *Reformati eccleſiam Chriſti extinxerunt*, aequa expendemus lance. Portento ſimilis profecto eſt hic, quo Proteſtantes perfricuit GOTTIVS, titulus, qui vellem tanto viro non excidiſſet. Pelion Oſſae nunquam imponere, nec temerarium illud ſuſcipere auſi ſunt Proteſtantes factum, quo Chriſti eccleſiam extinguerent. Si GOTTIVS putat, homines inermes imbecilleſque poſſe extinguere Chriſti eccleſiam, contra expreſſam Chriſti promiſſionem, errore laborat plusquam epidemico. His Chriſti promiſſis innixa eſt eccleſia vera & pura: *ſuper hanc Petram (videlicet Petri de Chriſto confeſſionem) aedificabo eccleſiam meam, ut ne portae quidem inferni adverſus illam ſint praevaliturae.* Matth. XVI. 18. In diem foret hoc auſum, quod primis ſaeculis tot imperatores & haeretici quidem optarunt & tentarunt, ſed non efficere potuerunt. Superior ſemper ex omnibus concertationibus, bellis, & vexationibus, evaſit Chriſti eccleſia. O quam vellem legiſſet GOTTIVS B. noſtri GOTTLIEBII WERNSDORFII o) diſſertationem, tot argumentorum ponderibus, quot verbis conceptam: *de perpetuitate eccleſiae evangelicae;* forte magis ſobrie ſcripſiſſet. Si vero GOTTIVS illam Proteſtantibus, Reformatis videlicet & Lutheranis, quos una dealbat fidelia, impreſſit impietatis notam, illumque potiſſimum fovit ſenſum, Reformatos ſuas intra eccleſias Chriſti ex-

m) Edit. Romae 1734. & Recuſ. Ratisbonae 1741.
n) vid. cap. IX. titul. p. 158. Edit. Ratisbon.
o) vid. Diſſertat. Vol. I. p. 1. ſeq.

Digitized by Google

extinxiſſe eccleſiam, neque eiusdem amplius eſſe membra, ſociosque, longe omnino a vero deviat tramite; & vel primam eccleſiae negligit notionem. Noverit tantus vir, & qui eius manes venerantur Romanae ſedis ſatellites forte didicerint, eccleſiam eſſe vel *univerſalem* vel *particularem*. Eccleſia univerſalis communem omnium ad Chriſti regnum vocatorum, & verbo divino, ſacramentisque utentium, complectitur coetum, qui fidelibus & hypocritis conſtat. Quo igitur iure veritatisque nota adſerere potuit GOTTIVS: Reformatos Chriſti extinxiſſe eccleſiam. Adeſt coetus verbo divino collectus, colluſtratus, & ſacramentis initiatus & confirmatus.

§. VII.

Regerit GOTTIVS: p) *Eccleſiam eſſe ſanctam ſanctitate doctrinae & morum, Catholicam, id eſt, toto orbe diffuſam, Orthodoxam, id eſt, rectam fidem ſervantem, & Apoſtolicam, quia eam, quam ab apoſtolis doctrinam accepit, fideliter & illibatam cuſtodit. Huius eccleſiae omnes Chriſtiani ſunt membra, ubicumque ſint, dummodo in eadem fide & caritate permaneant. Ideoque etſi plures eccleſiae in diverſis orbis provinciis ſint, quoquo nomine appellentur, ſunt illius eccleſiae catholicae & orthodoxae partes ac membra, ſi omnes una eademque fide communicent. Quod ſi in eadem cum eccleſia univerſali communione non ſint ac fide, iam non ſunt Chriſti eccleſiae, ſed ſynagogae Satanae: unde Apocal. II. 9. eccleſiae Smyrnenſi dicitur: blaſphemaris ab his, qui dicunt, ſe Judaeos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagogae Satanae.* Satis ſpecioſa & perſuaſionum faſciis involuta ſunt haec GOTTII argumenta, quae vero, ſi ad vivum reſecantur, & ad unguem exaſciantur, ſuis facile exuuntur liguſtris. Protenſa manu GOTTIO adſtipulamur, ad veritatem eccleſiae Chriſtianae requiri ſanctitatem doctrinae aeque ac morum, poſtulari ulterius, ut eccleſia ſit purioris doctrinae & fidei particeps & apoſtolica. Si fidei & gratiae media contemplaris attentius, facile concedimus, eccleſiam etiam hoc nomine dicendam eſſe catholicam. Alea nunc iacta eſt. Excutiamus has, quas purpuratus attulit GOTTIVS, notas. Prius autem, quam his notis, quas ſibi GOTTIVS pro lubitu fingit, arietem admoveam, monendum eſt, has, quas adferunt Romanenſes, notas, gratis hoc mactari nomine, quia potius affectionum & adiunctorum occupant locum. Notae enim eccleſiae

p) vid. l. c. ſ. II. p. 160.

non poſſunt intelligi, niſi viſibilis, quia inviſibilis ex his notis diiudicari nequit. Quibus enim eccleſia viſibilis diſtinguitur a coetibus puram fidem repudiantibus, notae debent ita eſſe comparatae, ut ſint propriae & perpetuae, quales nulli alii eccleſiae attribui poſſint. At ſi Romanenſium, quas nobis de eccleſia proponunt, conſideras notas, primo deprehendes intuitu, illa ſigna non ſoli Romanae eccleſiae eſſe vindicanda; proinde dubia eſſe & valde lubrica. Quae veritatem eccleſiae conſtituere debent notae, eſſentiales, inſeparabiles, & perpetuae eſſe debent, ſed Romanenſium ſigna varia & incerta ſunt, nec verum & reale innuunt diſcrimen. Si de ſanctitate doctrinae & morum eſt diſceptatio, ſpondeo recipioque, hac teſſera Lutheranam gaudere eccleſiam. Sanctitas doctrinae duo involvit membra, quorum *alterum* eſt, ut omnia doctrinae capita formae ſanorum, quae a Chriſto, eiusque legatis accepimus, verborum ad amuſſim reſpondeant, *alterum*, ut doctrina ad vitae ſanctitatem manu quaſi ducat. Sanctitatem doctrinae urget Paullus, neque nos illam negligimus, memores illius effati: *Si nos aut alius angelus de coelo evangelium annunciet vobis, praeter quod annuntiavimus vobis, anathema ſit.* Gal. I. v. 8. Ipſum vero doctrinae ſanctitatis ſtudium debet impellere nos, & aculeis quaſi incitare ad pietatis exercitia libere & aſſidue peragenda. Hinc profluit morum ſanctitas, qua rerum noſtrarum ſatagere, & omnia, quae efflagitat Chriſtus a ſuis commilitonibus, caritatis obſequia praeſtare allaboramus. Age reſpiciamus nunc noſtros corymbos! Sanctitatem doctrinae in noſtra eccleſia pie obſervamus, & a doctrinae norma, in ſacro codice tradita, ne latum quidem recedimus unguem. Nulla humana admittimus inſtituta, veriti, ne ſanctitas doctrinae Chriſtianae his ipſis figmentis & praeceptis, heri demum aut nudius tertius a pontificibus excogitatis, & demandatis, deformetur, corrumpatur, contaminetur. Imis animi viſceribus infixa ſunt Jeſu verba: *Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus coeleſtis, eradicabitur.* Matth. XV. 13. Doctrinae vero Romanenſium quot quaeſo habent vitiligines & maculas, quae ipſam doctrinarum non negligendarum propemodum labefactant naturam & firmamentum? Vitae ſanctimonia in noſtra non negligitur eccleſia, ſed ſedulo inculcatur, hoc ſaltem diſcrimine, quod Romanenſes oderint peccare formidine poenae temporalis, ſatisfactionum videlicet propriarum, laborioſae poenitentiae, ieiunii,

caſtiga-

Digitized by Google

caſtigationum, aliorumque cruciatuum metu; Lutherani vero oderint peccare virtutis fideique per opera conſpicuae amore. Sanctitas morum non vi & metu debet extorqueri, ſed libere ex fide noſtra veluti rivulus e fonte ſuo promanare. De fidei puritate omni ex parte apoſtolorum doctrinae conformi nihil dicam; quoniam religioni noſtrae hoc in argumento non opus eſt hedera. Ex adverſo hunc naevum in eccleſia Romana ſatis denudarunt JOSEPHVS HALLIVS q), B. NIC. HVNNIVS r), & JO. GVNTHERVS s), quorum nomina in hoc litterarum genere veluti luna inter minora ſidera exſplendeſcunt. Qua igitur confidentia purpuratus ROB. BELLARMINVS nobis hanc eccleſiae Romanae ſanctitatem olim commendavit, eadem nos hanc praetenſam doctrinarum veritatem & integritatem inficiamur. Lege, amabo, hanc BELLARMINI t) ſententiam oppido phaleratam: *Eccleſia noſtra catholica nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet, etſi multa ſupra rationem. Proinde ſola eſt abſolute ſancta, eique ſoli convenit, quod in ſymbolo dicimus: Credo ſanctam eccleſiam.* Satis arroganter haec ſcripſit BELLARMINVS, haud memor errorum, quibus tota Romanenſium ſcatet doctrina. Quam multa in Romana eccleſia extent doctrinae capita, quae contra rationem ſunt, vel unicum Transſubſtantiationis ſyrma nos edocere poteſt, quod egregie urget GVILIELM. SCHERLOCKIVS u). Actum agerem, ſi omnium, in quas Romanenſes iurare debent, doctrinarum inſtituere vellem examen, qua provincia feliciter ſunt perfuncti JO. PLACETTVS x) & GERHARD. TITIVS y), quorum commentationes hoc in argumento aliis palmam praeripuiſſe videntur. Sed ad GOTTIVM redeo.

§ VIII.

Quod tandem ad *Catholicismum* eccleſiae ſpectat, illum eccleſia Romana neutiquam ſibi ſoli vindicare poteſt. Ex mente enim

Patrum,

q) vid. The olde Relig. a Lond. 1663. r) vid. ej. Apoſtaſia Roman. Eccleſ. 1637.

s) vid. ej ſolid. Demonſtrat. quod eccleſ. Lutheran. ſit apoſtol. Romana vero apoſtatica 1708. t) vid. ej. Op. Tom. I. Lib. IV. Cap. XI. p. 1518. ſeq.

u) vid Preſervatif contre le Papiſme Sect. IV. Sec. Partie p. 206.

x) vid. Inſanabil. Roman. Eccleſ. Scepticiſm. Cap. II. quod Pontificiorum fides Script. S. niti non poſſit. p. 6. ſeq.

y) vid ej. Oſtenſio ſummar. quod Pontificii dogmata ſua ſibi peculiaria non poſſint unanimi ſcriptorum eccleſiaſticorum e quinque prioribus ſaeculis ſuperſtitum conſenſu probare, Edit. Helmſtad. 1658.

Digitized by Google

Patrum, teſte JOANNE PEARSONIO z), has potiſſimum ob rationes eccleſia appellatur catholica. *Primo* ob naturam eccleſiae univerſalem, ſeu, ut preſſius ſcribam, quia eccleſia Chriſtiana non per anguſtis huius vel illius regionis includi debet circulis, ſed diſſeminanda, & iam diffuſa eſt in totum mundum, iuxta illud Jeſu mandatum: *Euntes docete omnes gentes.* Matth. XXVIII. 19. *Secundo* dicitur catholica, quia res omnes creditu & factu neceſſarias tradit, & omnes, quotquot illi ſuum dant nomen, accurate illis imbuit. *Tertio* appellatur catholica, quia omnia fidei capita & morum praecepta proponit, quibus omnes, qui Chriſti ſe dicunt diſcipulos, nullo excepto, ſummo ſtudio obſequi debent. *Quarto* dici meretur catholica, quod omnia ſalutis media iis, qui in hac Jeſu familia degunt, adverſus omnes animæ morbos & vulnera propinat. Quae ſi diligenter expendas argumenta, videbis, GOTTIVM Romanae eccleſiae gratis vindicare hunc eccleſiae catholicae titulum. Falcem immittit in alienam meſſem, & quod toti eccleſiae Chriſtianae debetur, particulari arrogat nomen. Romana eccleſia, prout nunc eſt eius ratio, ſuas doctrinas verbo divino oppido contrarias multa per ſæcula anguſtis in limitibus occuluit, donec ſenſim paullatimque illas in varias diffuderit terrarum partes, & illas inundarit. Errorum tamen non effecit Catholiciſmum, ſed eccleſia Orientalis, & egregii veritatis teſtes omnibus ſaeculis divino nutu excitati, obſtiterunt, quo minus tota corrumperetur eccleſia. Quocunque igitur Romanenſes eccleſiae ſuae Catholiciſmum intueantur latere, maximopere falluntur. Quod ſi enim Catholiciſmum ratione doctrinae intelligunt, ut catholica eccleſia ſit eadem, quae doctrinam a Chriſto & Apoſtolis profectam in ſummis fidei capitibus arctiſſime tenet, Romana eccleſia ſe hoc nomine exornare non poteſt. Vix ullus eſt fidei articulus, qui non errorum farragine ſit commixtus. Porro ſua excidunt Pontificii cauſa, ſi Catholiciſmum in amplitudine, & perlongo nominis Pontificii Syrmate ponunt. Vera enim Chriſti, quae inviſibilis eſt, eccleſia externam & dimenſam non admittit amplitudinem. Id equidem non diffiteor, Romanenſes in diſſeminanda ſua religione variis artibus uti, & cum ſuis mercibus extremos currere ad Indos. At interceſſit hactenus ſingularis Dei providentia, quo minus Romanenſium errores longe lateque ſerpentes, & in proximum quemque proſilien-

z) vid. ej. Expoſit. Symb. Apoſtol. Art. IX. p. 615. ſeq.

Digitized by Google

ſilientes, ubique locorum ſtabilem ſedem figere potuerint. Et ſi vel maxime Romana eccleſia ſuas pennas extra nidum ſuum, extra, inquam, Italiæ terminos extenderet, & ex adverſo vera Chriſti eccleſia ad paucos rediret, nullum tamen veritati divinae metuendum foret periculum. Fertilior enim ſemper errorum ſeges eſt, quam veritatis propago. Staret eccleſia pura nihilominus inconcuſſa, ſi etiam ad tantam, quanta tempore antediluviano fuit, redigeretur fidelium paucitatem. Cothurnum proinde ſibi adaptant Romanenſes, ſi ob eccleſiae amplitudinem & ſplendorem externum triumphum agunt.

§. IX.

Si ulterius urget GOTTIVS, nos non eſſe in communione cum univerſali eccleſia ac fide, aliam, meminerit, communionem eſſe *externam*, aliam vero *internam*. Ubi quæſo extat teſtimonium, eccleſiam Romanam eſſe ſolam Chriſti eccleſiam, & Lutheranam eccleſiam, quae extra huius eccleſiae commercium poſita eſt, eſſe deviam, ſpuriam & falſam? Univerſalis eccleſia Chriſti omnes particulares complectitur eccleſias hinc & inde diſſitas, in unitate externae profeſſionis doctrinae purae, ſeu in externa communicatione & ſocietate eiusdem fidei & cultus externi coniunctas. Illa igitur eſt vera Chriſti eccleſia, quae ſe veritate doctrinae & legitimo ſacramentorum uſu commendat. Illius eccleſiae externa ſocietas eſt petenda, deſideranda, quaerenda. Quae ſi rite penſitarent Romanenſes, vadem me praeſtiterim, illos eſſe confeſſuros, Lutheranos non minus eſſe a verae Chriſti eccleſiae communione avulſos, quam membrum, quod, elangueſcentibus aliis corporis membris, ſuum adhuc vigorem a capite recipit & incrementa, ſeu, ut planius ſcribam, eſſe veluti ramum, qui, decreſcentibus & areſcentibus aliis ramis, ſuccum tamen & nervum a ſtirpe recipit. Haud periclitatur Lutheranae religionis veritas, quod aliae eccleſiae Chriſtianae partes macilentae ſunt, & oppido languidae. Satis habemus, eccleſiam Lutheranam inviſibilis capitis, Chriſti videlicet, frui influxu & praeſidio, quin & participem eſſe communionis univerſalis eccleſiae, qua externam, quam fovemus, fidei profeſſionem, a Chriſto nobis traditam, ſanctęque a nobis ad cineres usque colendam. En noſtram ſine fuco ſententiam. Si vera totius eccleſiae unitas, & intima omnium membrorum neceſſitas eſt credenda, Romana eccleſia, eo tempore,

Digitized by Google

pore, quo fuit pura, illibata & apoſtolica, huius communitatis non expers eſt dicenda, poſtquam autem, quod nulla eget demonſtratione, erroribus eſt contaminata & apoſtatica facta, eius commercium ne quidem expetendum eſt. Ludit proinde cum aura, & gratis cum Lutheranis & Reformatis ſtomachatur eminentiſſimus pater purpuratus GOTTIVS, cuius mentem iam dudum expoſuit RICHELIVS, a) vir alioquin eruditus, qui B. Lutheri pervertit verba, & ſannis illa excipit. Scripſit B. LVTHERVS: b) *Sic & nos gloriari poſſumus, nos a papa non accepiſſe noſtram doctrinam. Scripturam ſacram, & externa ſymbola habemus quidem ab eo, non autem doctrinam, quam ſolus Deus nobis dedit.* Cum RICHELIO errare voluit JACOBVS BENIGNVS BOSSVETVS, c) qui eodem laborat morbo. Ecquid hoc B. Lutheri diſcrimine doctrinam inter & ſcripturam ſymbolaque cum ſale conſtituto eſt venuſtius, limatiusque? Accepimus ſcripturam & ſymbola externa a Romana eccleſia, ſed nullum exinde ad illam profluit auctoritatis firmamentum. Hoc venerabile ſcripturae ſacrae depoſitum non ſolum ſedi Romanae, ſed toti eccleſiae fuit concreditum. Purior itaque doctrina in ſcriptura ſacra toti eccleſiae tradita adſervatur tanquam in fonte, in doctoribus autem eccleſiae tanquam in canalibus. Ubi quaeſo Chriſtus, aut eius legati hunc ſcripturae ſacrae theſaurum ſoli ſedi Petrinae demandarunt cuſtodiendum? Non ſola Romana eccleſia, ſed & Orientalis haec ſacra cuſtodivit pignora. Lutherani vero eccleſiam Romanam admodum defoedatam fugientes, ſcripturam ſacram quam maxime a Romana eccleſia acceptam detulerunt, eamque ſolam, non vero doctrinam, quia, diſertum contra ſcripturae ſacrae nutum, Romana eccleſia multos receperat errores. Aurum itaque gemmasque cum Iſraelitis ex Ægypto abſtulimus, & allium, cepas, ollasque carnis, erroneas, inquam, doctrinas, Romanenſibus praeconceptis ſententiis innutritis conſilio reliquimus. His cataphractis recentior eccleſiae Romanae alumnus aggreſſus eſt Lutheranos, & demonſtrare annisus eſt, Lutherum non eſſe inficiatum, in eccleſia Romana ſacramentum baptiſmi,

a) vid. Traité qui contient la methode la plus facile & la plus aſſevrée pour convertir ceux, qui ſe ſont ſeparez de l' Egliſe Libr. II. Cap. VI. Que les pretendus Reformez n'ont pas l' Egliſe de Jeſu Chriſt, parce qu'ils n'ont pas la poſſeſſion des ſaintes Lettres, qui en eſt inſeparable, p. 236. a Paris, 1651.

b) vid. Op. Tom. XI. Comment. in Epiſtol. ad Galat. Cap. I. v. 17. fol. 57. edit. Zedler.

c) vid. Hiſtoire des Variat. des Egliſ. Proteſt. Tom. I. Liv. III. IV. §. LX. p. 135.

Digitized by Google

mi, verbum evangelii, remiſſionem peccatorum, ſacramentum eucharistiae, vocationem, & ordinationem, nec minus orationem dominicam & ſymbola eſſe adſervata. Aſt haec argumenta ad unguem exaſciata leges apud JOANNEM FRANCISCVM BVDDEVM d), qui Lutheri verba ſatis dextre vindicavit, & nobis otia fecit. Illa igitur eccleſia, quae ſe verbi divini veritate, Sacramentorumque uſu, illoque integro & illibato, tuetur, certe univerſalis eccleſiae eſt ſocia, quocunque etiam terrarum moretur loco. Ecquis, quaeſo, dixerit, ſeptem illuſtres illas Aſiae eccleſias fuiſſe extra totius eccleſiae univerſalis, in omni terrarum loco ab apoſtolis conditae, communitatem? Quis auſit tam anguſtos eccleſiae Chriſti ponere limites, ut crederet, univerſalem eccleſiam in eccleſiae Romanae contineri terminis, & eccleſias Proteſtantium extra communicationem univerſalis Chriſti eccleſiae, eo nomine, quod fidem Romanam non profitentur, eſſe ſitas?

§ X.

Quid mordeat Romanenſes, nemo non videt. Aegre ferunt, immo explodunt noſtram diſtinctionem inter unitatem eccleſiae *externam* & *internam*, veramque religionem ex unitate externa potius, quam interna, probare annituntur. Id agit GOTTIVS; hoc defendunt alii Romanae ſedis alumni. EMANVEL SCHELSTRATIVS omnem aliquando intendit nervum, ut inanem redderet hanc diſtinctionem, & ſimul ſubverteret noſtram, quam de notis eccleſiae veris habemus, ſententiam. Ita nimirum diſputat SCHELSTRATIVS e) in ſua diſſertatione ſecunda contra Lutheranos: *Articulo ſeptimo Auguſtanae confeſſionis ſtatuitur de eccleſia, quod ſit una. Id quod vere catholicum eſt. Additur, eccleſiam eſſe congregationem ſanctorum, in qua evangelium recte docetur, & recte adminiſtrantur ſacramenta. In cuius priori parte latet venenum haereſeos, cum non ſolum ſancti, ſed etiam mali ſint in eccleſia. Addunt Lutherani, ad veram eccleſiae unitatem ſatis eſſe conſentire evangelio, & adminiſtrationi ſacramentorum, per quod ſignificant, praecepta eccleſiae & traditiones antiquorum de ritibus & diſciplina eccleſiaſtica poſſe omitti & negligi, unde addunt haec verba errorem*

d) vid. ej. Diſſert. Theologic. qua Judic. B. Martini Lutheri de Roman. eccleſ. expenditur adv. recentior. & ignot. auctor. libell. in Miſcell. ſacr. P. II. p. 89.

e) vid. ej. Acta Oriental. Eccleſ. contra Lutheri hæreſin Part. I. Diſſertat. II. Prævia Cap. II. de Confeſſ. Auguſtan. p. 83. Edit. Rom. 1739.

Digitized by Google

exprimentia: nec neceſſe eſt, ubique eſſe ſimiles traditiones humanas, ſeu ritus aut ceremonias ab hominibus inſtitutas. Duo ſunt, quae eruenda videntur concertationis capita, quorum *alterum* eccleſiae definitionem, *alterum* autem notas eccleſiae attingit. Beati Auguſtanae confeſſionis conditores, eccleſiam Chriſti eſſe congregationem ſanctorum, adſerunt, quam definitionem propterea retundit SCHELSTRATIVS, & venenum haereſeos in illa latere putat, quia etiam mali eſſent in eccleſia. Nullum offendimus hac in definitione eccleſiae eſſentiali, quae conſtat genere & differentia, virus, niſi quod SCHELSTRATIVS frivole affundit. Veram Chriſti eccleſiam eſſe congregationem ſeu coetum fidelium, ipſius Chriſti oraculo Matth. XVIII. 20. obvio, confirmatur. At differentia a piis confeſſoribus addita, quod ſit congregatio *ſanctorum*, SCHELSTRATIVM vellicat. Quae verba ita interpretatur, cuius modo mentionem feci, SCHELSTRATIVS, quod hypocritae, & putatitii Chriſti aſſeclae prorſus eliminentur, qui tamen nunquam eſſent in eccleſia chriſtiana defuturi. Sed ſciat, quisquis SCHELSTRATII provinciam in ſe ſuſceperit, noſtros confeſſores non de viſibili ſed inviſibili agere eccleſia, & quidem non tota promiſcua hominum congerie, ſed de potiori parte, quia eccleſia Chriſti ob finem & ſcopum, ſanctorum dicitur congregatio, quem paralogiſmum non cauſae ut cauſae iam dudum diſpulerunt B. GEORGIVS MYLIVS f) & WOLFGANG. FRANZIVS g), ut alios præteream Auguſtanae confeſſionis interpretes. Quibus adiiciendus eſt JO. MVSAEVS h), qui membrorum vivorum naturam & indolem in eccleſia chriſtiana ſolide adverſus Romanenſes vindicavit. Quid regererent Romanenſes, ſi titulum, quo Romani pontifices ſanctiſſimi & beatiſſimi patres vulgo appellantur, expenderem, diceremque: non omnes fuiſſe ſanctiſſimos & beatiſſimos. In vulgus enim notum eſt, plurimos epiſcopos huius mundi deliciis adeo ineſcatos, & errorum fece tam graviter tinctos fuiſſe, ut ex BARONII i), GERSONIS, NATALIS ALEXANDRI k) & FLEVRII l) iudicio hoc nomine plane indigni iudicentur.

f) vid. ej. Auguſt. Confeſſ. Explicat. ad Art. VII. p. m. 118. g) vid. ej. Diſp. in Auguſt. Confeſſ. Diſputat. VIII. de eccleſ. ad hunc Artic. §. III. p. m. 217.
h) vid. ej. Diſputat. I. de Eccleſia ejusque veris & vivis membris §. XXVII. ſqq. Edit. Jen. 1657. i) vid. Annal. Tom. X. ad an. 912. n. VIII. p. 685.
k) vid Hiſtor. Eccleſiaſt. Tom. VI. ad Saecul. X. Cap. I. p. 27. ſeq.
l) vid. Hiſtoir. Eccleſiaſt. Tom. XII. p. 269.

Digitized by Google

centur. Profecto ſpartam ſuam defenderent, & a potiori nominationem fieri adſererent, mihique reſponderent Romanenſes, ob officii partes hoc nomen competere pontificibus. Miror proinde, cur non eodem, quin immo maiori iure eccleſiae chriſtianae ſocii ob cauſam, media, & effectum, qui eſt ſanctificatio, ſancti ſint appellandi? Quod reliquum eſt, a ſententia noſtra nullo modo recedimus, ſtatuentes, ad unitatem verae eccleſiae ſufficere ſanam verbi divini praedicationem, & legitimum ſacramentorum uſum, neutiquam vero veritatem & unitatem eccleſiae ex externis caerimoniis & ritibus eſſe derivandam. Vnitas, qua doctrinam chriſtianam ex verbo divino hauſtam, & verum ſacramentorum uſum in eccleſia obſervandum, nobis potiſſimum eſt conſideranda, reliquae vero unitatis notae, quas ſibi fingunt Romanenſes, ex ipſorum confeſſione tam lubricae ſunt, & invalidae, ut noctuas portarem Athenas, ſi illas cum B. JO. GERHARDO m) prolixius excitare vellem. Spinoſa ſaltem SCHELSTRATII, &, qui primas ab illo tenet partes, CAIETANI FEL. VERANII ſententia mihi adhuc eſt diſcalceanda, qua ſtatuitur, notas noſtras eccleſiae dubias eſſe, & Protheo mutabiliores. His cuniculis noſtras rationes ſubvertere annititur VERANIVS n): *ſi dicas, veritatem doctrinae, & legitimum ſacramentorum uſum neceſſario verae ineſſe eccleſiae; id non inficior, ſed nego, idoneas eſſe notas ad diſcernendam veram eccleſiam a falſa. Quamvis eccleſia eſſe nequeat ſine veritate doctrinae, neque ſine legitimo, rectoque ſacramentorum uſu; non tamen inde ſequitur, veritatem doctrinae, rectumque ſacramentorum uſum eſſe proprietates, ſeu notas diſtinctivas verae eccleſiae a falſa. Idque evidenter demonſtratur; quia, quae ſunt communia pluribus eccleſiis veris, & aliis falſis, non poſſunt eſſe propria unius tantum: veritas autem doctrinae, & rectus ſacramentorum uſus poſſunt eſſe communia eccleſiae verae, & aliis falſis: ergo nequeunt eſſe proprietates, neque notae diſtinctivae eccleſiae verae a falſis. Minor probatur, quia plures eccleſiae falſae Acatholicorum poſſunt convenire cum catholica, in recto uſu omnium ſacramentorum, ut etiam in veritate doctrinae, quae tamen falſae ſunt. Etenim vel loquuntur de veritate doctrinae partialis, vel totalis. Veritas neutra vero poteſt eſſe nota diſtinctiva verae a falſa eccleſia. Non veritas* C 3 *doctri-*

m) vid. ej. Confeſſ. Cathol. Part. I. Lib. II. Art. V. Cap. IV. p. 748. ſqq.
n) vid. ej. Theolog. Polemic. Tom. I. Cap. VIII. p. 23.

doctrinae partialis: quia poteſt pars doctrinae cum recto uſu ſacramentorum eſſe proprietas, ſymbolum, nota, qua eccleſia vera diſtinguitur a falſa. Leves ſunt, ob quas VERANIVS haec verae eccleſiae ſymbola & teſſeras repudiat, rationes, quae forte corruent, ſi ita argumentor: Quaecunque in veteri Hebraeorum eccleſia, verae & diſtinctivae fuerunt notae, illae quoque in noſtra, quam profitemur, eccleſia chriſtiana ſunt teſſerae: Atqui in veterum Hebraeorum eccleſia, veritas doctrinae & rectus ſacramentorum uſus verae & diſtinctivae fuerunt notae; Ergo & in noſtra eccleſia. Demonſtratu non eſt difficile, & vel unicus hic locus primam notam, veritatem videlicet doctrinae firmabit, quo aſſeritur: *Dedit Iacobo ſuum verbum, Iſraeli ſtatuta ſua, & iura ſua. Non fecit ita ulli genti, nec iura iſta noverunt.* Pſ. CXLVII. 19, 20. De ſacramento circumciſionis Geneſ. XVII. 10. ſeq. & de ſacramento paſchatos, Exod. XII. 2 ſeq. pervia leguntur teſtimonia. His igitur notis Deus ſuum, quem elegerat, populum ab omnibus diſtinxit gentibus, & ſi haec negaveris ſigna, neſcio, quibus teſſeris Iudaeos ab aliis populis diſcernere poſſis; quia alia inſtituta pleraeque gentes ſunt imitatae. Demiror proinde SCHELSTRATII & VERANII impudentiam, qua has verae eccleſiae notas infringere annituntur. Lydius quaſi lapis in diiudicanda eccleſiae veritate, eſt doctrinae puritas, eaque ex ſolo verbo divino hauſta, quam normam Spiritus ſanctus plus uno loco, nobis inculcat, Ieſ. VIII. 20. Gal. VI. 16. Praeſtolamur tamen veritatem doctrinae totalis, quam ſufficere frivole negat VERANIVS. Omnia doctrinae chriſtianae capita arctiſſimo nexu ſint iuncta, & ſi hunc vel illum articulum, & quidem fidei fundamentalem, abſtuleris, illa eccleſia, quocunque demum veniat nomine, non eſt vera. Quod ſi enim ſufficeret veritas doctrinae partialis, non video, cur vel peſſimorum haereticorum coetui verae eccleſiae denegaveris nomen; quia nulla propemodum extitit haereſis, quae non falſis veras quoque admixtas habuerit doctrinas. Attenta nunc, ſi omnes, quotquot exiſtunt, conſideramus mente eccleſias, facile offendemus, illas noſtra cum eccleſia, neque in veritate doctrinae, neque genuino ſacramentorum uſu omni ex parte conſpirare. Deviabunt illae, quas dixi, eccleſiae particulares a noſtra civitate, modo in doctrinae veritate, modo in ſacramentorum uſu, modo denique in utraque parte a fide noſtra recedent. Si

itaque

Digitized by Google

itaque haec, quam commemoravi, in exploranda eccleſiae veritate, haud firma eſt lima, multo minus certae & ſtabiles eſſe poſſunt illae, quas Romanenſes nobis propinant, verae eccleſiae notae. Sanctisſimus Ieſu commilito, Ioannes, omnibus fidelibus, hanc, qua explorare debent illos, qui nomen Chriſtianorum prae ſe ferunt, ſubminiſtravit teſſeram: *Si quis*, inquit, *venit ad vos, qui hanc doctrinam non ferat, eum domum ne accipite, neque ſalvere iubete.* II Epiſtol. v. 10. Ex hoc Ioannis effato tutus colligo, veritatem doctrinae palmarium eſſe verae eccleſiae ſymbolum. Patres primitivae eccleſiae, hanc notam in exploranda vera eccleſia primo collocarunt loco, & illa in denudandis haereticorum latebris ſatis feliciter uſi ſunt. De iſta nota St. AMBROSIVS o) his uſus eſt verbis: *Chriſtus ſolus eſt, quem nemo debet deſerere, nemo mutare. Cui bene dicitur, Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes, & nos credimus. Vides exſecutorem coeleſtium praeceptorum: qui, quoniam non mutavit hoſpitium, coeleſtis conſortium conſecrationis emeruit. Fides igitur inprimis eccleſiae quaerenda mandatur: in qua ſi Chriſtus habitator ſit, haud dubie ſit legenda. Sin vero perfidus populus, aut praeceptor haereticus deformet habitaculum, vitanda haereticorum communio, fugienda ſynagoga cenſetur. Excutiendus pedum pulvis, ne fatiſcentibus perfidiae ſterilis ſiccitatibus, tanquam humi arido arenoſoque mentis tuae veſtigium polluatur: Nam ſicut corporeas infirmitates populi fidelis ſuſcipere in ſe debet Evangelii praedicator, & tanquam propriis inania geſta pulveri comparanda allevare atque abolere veſtigiis, iuxta quod ſcriptum eſt: Quis infirmatur, & ego non infirmor? ita ſi qua eſt eccleſia, quae fidem reſpuat, nec apoſtolicae praedicationis fundamenta poſſideat, ne quam labem perfidiae poſſit aſpergere, deſerenda eſt.* Difficile quidem eſt, teſte JO. DALLAEO p) controverſias recentius enatas ſemper ex primorum patrum diſcutere & diiudicare ſcriptis, quia illorum aetate de his, quae iam acrius propugnantur, ſententiis, nulla mota erat concertatio. In hac tamen re controverſa Patrum documenta multum nobis adferunt adiumenti. Quem enim olim DONATISTAE eccleſiae verae Doctoribus moverunt ſcrupulum; ubi eſſet eccleſia, utrum inter Donatiſtas, an vero penes orthodoxos, iam ruminantur Romanenſes. Putaverim

o) vid. ej. Comment. in Evang. Luc. Cap. IX. Lib. VI. p. m. 111.
p) vid. de Uſu Patr. Lib. I. Cap. XI. p. 191.

Digitized by Google

rim itaque, iisdem, quibus olim uſi ſunt Patres adverſus DONATISTAS, armis Romanenſium nunc repellenda eſſe tela. St. AVGVSTINVS q) illa nobis propinat arma: *Sunt certe*, inquit, *libri dominici, quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique cedimus, utrique ſervimus; ibi quaeramus eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.* Tempero mihi ab aliis Patrum documentis, & ad GOTTIVM nunc redeo.

§. XI.

Tenacius inſiſtit GOTTIVS ſuae ſententiae & praepeditae perſuaſioni, & arbitratur: Proteſtantes ab hac Romanae eccleſiae familiaritate receſſiſſe, neque ullum vocationis ſuae demonſtrare poſſe indicium. *Nunc ad rem*, inquit, *praeſentem accedentes ſcimus, Reformatorum coetus eſſe ab eccleſiis, quae cum Romana fide ac religione communicant, & quae partes ac membra eccleſiae catholicae ſemper habitae ſunt, ſegregatos; ſed an a Deo ſint vocati, ut Paullus, & ſegregati in Evangelium Dei, ipſi dicunt, ſed nos negamus.* r) Cauſſas ſeceſſionis noſtrae valde iuſtas, Lutherique vocationem longe diviniorem fuiſſe, Romanorum Pontificum auctoritate, qua fidem & inſtituta a Chriſto tradita ſuis commentis & ſpinis rei Chriſtianae noxiis conſpurcarunt, uberius expoſui in praefatione Exercitationum ANTITROMBELLIANARVM s), quare ab hoc argumento ſatis & abunde ab aliis, quos ibidem laudavi, viris diluto, vela retraho. Vnicum ſaltem adiiciendum ſtatuo, EDVARDVM STILLINGFLEETVM t), qui pro eo, quo valuit, iudicio, expoſuit ſatis, & rerum in eccleſia geſtarum documentis demonſtravit validis, pontifices falſis doctrinis, inſtitutis & factu hanc unitatem eccleſiae chriſtianae, ſaeculis ſtatim primis perforaſſe, id quod in vado eſt. Si vero nimis curioſi ſunt GOTTII clientes, & cauſſas huius ſeparationis ſeu potius expulſionis praeſtolantur, paucis illas ex JOANNIS SARISBVRIENSIS, qui ſaeculi XII. fuit confeſſor longe praeſtantiſſimus, POLYCRATICO u) enumerabo: *Cum a me*, inquit *Joan-*

q) vid. Op. Tom. IX. de Unitate Eccleſ. Cap. III. p. 231. Edit. Benedict.
r) vid. l. c. §. III. p. 160. & 161.
s) vid. Tom. I. p. 1. ſeq. Edit. 1742.
t) vid. Diſcourſe concerning the Idolatry practiſed in the Church of Rome Chap. V. of the Diviſions of the Roman. Church p. 311. ſeq. a Lond
u) vid. Flacii Catalog. Teſt. Veritat. Lib. XIV. ex Sarisburienſ. Polycrat. Lib. VI. Cap. XXIV. p. 1434.

Google

Joannes Sariſburienſis, Adrianus IV. pontifex, quid de ſe & eccleſia Romana ſentirent homines, familiarius & diligentius quaereret, ego apud eum uſus ſpiritus libertate, mala, quae in diverſis provinciis audieram, patenter expoſui. Sicut enim dicebatur a multis, Romana eccleſia, quae mater omnium eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet aliis, quam novercam. Sedent in ea ſcribae & phariſaei, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quae digito non contingunt. Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam, pretioſam ſupellectilem congerunt, auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus, quam vana gloria introducit. Concutiunt eccleſias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur, eccleſiarum laetantur ſpoliis, & quaeſtum omnem reputant pietatem. Iuſtitiam non tam veritati, quam pretio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie, ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis. Nocent ſaepius, & in eo daemones imitantur, quod tunc prodeſſe putantur, cum nocere deſiſtunt: exceptis paucis, qui nomen & officium paſtoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex omnibus gravis & fere intolerabilis eſt. Praeterea arguitur, quod ruentibus & collabentibus eccleſiis, quas Patrum conſtruxit devotio, altaribus quoque incultis, palatia exſtruit, & ipſe non modo purpuratus, ſed deauratus incedit. Palatia ſplendent ſacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur eccleſia. Provinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Croeſi ſtudeant reparare. Sed recte cum eis agit Altisſimus, quoniam & ipſi aliis & ſaepe viliſſimis hominibus dati ſunt in direptionem. Haec eſt illa monſtroſa, modo biceps, modo triceps & portentoſa eccleſia, a cuius mutuo graviſſimis, iisque divinis moti cauſis, nos ſeparavimus rerum ſacrarum commercio. Miramur proinde, qua fide, & fidei firmamento Patres Concilii Tridentini, hoc minio eccleſiam Romanam dealbare, illamque appellare potuerint x) *Sanctam eccleſiam, & omnium eccleſiarum matrem & magiſtram,* quum iniuſtae ſatis novercae provincia, in defoedanda ſanae doctrinae forma, ſit defuncta.

D §. XII.

x) vid. Pallavicin. Hiſt. Concil. Trident. Lib. XXIV. Cap. VIII. Seſſ. XXV. p. 309.

Digitized by Google

§. XII.

Fortiori nunc impetu in nos irruit GOTTIVS, & noſtram diſtinctionem eccleſiae in *viſibilem* & *inviſibilem*, ita explodit: y) *Vident Reformati, ſe biſce viis evadere non poſſe, & ideo ad aſylum confugiunt. Eccleſiam inviſibilem comminiſcuntur, in deſertum fugitivam, oculis mortalium ſubductam ſaltem per decem ſaecula.* Et paucis interſitis lineis z): *Deinde, peto, ubinam ſcriptum eſt, eccleſiam catholicam tam cito viſibiliter perituram, a quo, quando, quomodo ex orbe terrarum delenda eſſet, quae per Apoſtolos tot tantisque laboribus fundata erat? Dicent, Romanum papatum veram eccleſiam operuiſſe, eamque inviſibilem reddidiſſe, immo evertiſſe.* Vellicat nos GOTTIVS, & ſubridet, ob diſtinctionem inter eccleſiam *viſibilem* & *inviſibilem* non heri demum aut nudius tertius enatam, illamque appellitat aſylum, commentumque, quam ſententiam ex BELLARMINO a) BECANO b) aliisque recoxit. Illud, de quo diſceptatur, diſcrimen, nullum ſane eſt inventum, ſed in rei natura & indole ſatis fundatum; ſi modo attendatur, has duas eccleſias non eſſe ſpecies contradiſtinctas, ſed unam eandemque eccleſiam diverſo tantum reſpectu conſideratam, reſpectu vocatorum *viſibilem*, electorum vero ratione, *inviſibilem* nominari. Unam tantum hi vocati, & electi, conſtituunt eccleſiam, ſed diverſo conſiderandi modo & relatione. Latet inviſibilis eccleſia in viſibili. Vocati & rebus ad ſalutem neceſſariis inſtructi quidem ſunt multi, oculis noſtris obvii, qui tamen, qua electionem & fidem veram, numerum tantum faciunt, neque vera eccleſiae ſunt membra, ſed hypocritae. E contrario in hac viſibili eccleſia multi adſunt fideles, qui viva & vera ſunt Chriſti membra, & quae Deus pro ſua, qua animi receſſus mortalium rimatur, providentia novit. *Fundamentum enim Dei firmum manet, & habet hoc ſigillum, Dominus novit ſuos.* 2. Tim. II. 19. Egregie haec diverſa eccleſiae conſideratio variis confirmatur ſcripturae ſacrae & exemplis, & teſtimoniis omni exceptione maioribus. Tempore Eliae vera & viſibilis eccleſia tantam ad paucitatem erat redacta, ut ſanctiſſimus & acerrimus religionis defenſor Elias gemebun-

y) vid. l. c. §. X. p. 170.
z) vid. l. c. §. XI. p. 172.
a) vid. Op. Tom. I. Lib. III. Cap. II. p. 1402.
b) vid. Op. Tom. I. Cap. V. Concluſ. I. p. 410. ſeq.

Digitized by Google

bundus ad Deum dixerit: *ego ſolus ſuperſtes ſum: ſed reponit Deus, cuius oculis vel abſconditiſſima ſunt obvia: reliqui, manebunt ſeptem millia Iſraelitarum, qui genua ſua non flexerunt Baal, & quorum os illum non eſt oſculatum.* 1. Reg. XIX. v. 14.18. Quibus verbis Deus ſanctiſſimum vatem dedit in pudorem, quod eccleſiam veram oculis corporis metiri, & numerare velit, quum in viſibili eccleſia, tunc temporis peſſime defoedata, lateat inviſibilis, haud exiguo conſtans electorum numero. Summa porro mentis attentione legi, nec legi ſolum, ſed & conſiderari debent Jeſu verba: *Ego ſum vitis illa vera: & pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non facientem fructum, tollet eum: & omnem fructum ferentem, purgat eum, ut fructum plus afferat.* Io. XV. v. 1. 2. Obſervamus circa hoc Jeſu oraculum, pia meditatione digniſſimum; Jeſum ſe nobis proponere ob oculos tanquam vitem palmitibus ornatam. At palmites ſurculique conſpiciuntur foecundi & fructiferi, offenduntur quoque ſurculi, ſolis pampinis conſpicui, ceteroquin infructiferi. Utrique vero palmites in vite haerent, & ſuccum humoreſque recipiunt. Omnes igitur ad Chriſti familiam vocati, & rebus divinis initiati, viſibilis eccleſiae ſunt membra; ſed ex iis vocatis non pauci ſunt palmites externa tantum profeſſione, veluti pampinis ſe iactantes, & fructum multo cum foenore futurum ſimulantes, interno vero nervo & virtute deſtituti, quos ſpurios & fictitios merito dixeris Eccleſiae cives. Una igitur eſt eccleſia, quae reſpectu membrorum fidem Chriſtianam profitentium, & reſpectu illorum, qui in vera fide & pietate degunt, & ad vitam aeternam ſunt electi, ſociorum, ſummo cum iure in viſibilem diſpeſcitur, & inviſibilem. Mitto crebram omnium ſanctorum compellationem ab Apoſtolis in effatis, Rom. I. 7. Rom. XVI. 15. 1. Cor. I. 2. 1. Cor. XIV. 33. Epheſ. III. 18. 2. Conrinth. I. 1. Philip. IV. 21. Philip. I. 1. 1. Theſſ. III. 13. Hebr. XIII. 24. 1. Petr. I. 1. & paſſim traditam. Quis autem dixerit, hos ſanctos & electos ubique locorum & temporum ſemper fuiſſe conſpicuos? Vera proinde horum ſanctorum eccleſia, qua formam internam, & eſſentialem, quae eſt communio ſpiritualis & fides, ne oculis quidem armatis videri poteſt. Accedunt alia, quae impediunt, quo minus conſpici poſſit eccleſia, argumenta, locorum videlicet diſtantia, quae efficit, ut non uno obtutu conſpici poſſit eccleſia. Quot quaeſo vinculis ligati latent inter Turcas & ferociſſimas

Digitized by Google

gentes Chriſtiani, qui vera ſunt eccleſiae membra, a nobis tamen nunquam viſa. Triſtiſſima porro eccleſiae fata & vexationes non raro in hoc vel illo terrarum tractu effecerunt, ut fideles delituerint, ibidemque vera eccleſia prorſus extirpata & deleta eſſe viſa fuerit, quod SALISBVRGENSIVM fides paucis abhinc annis nos edocuit. Et ſi nulla denique, ex ſententia BELLARMINI, STAPLETONII, & GOTTII, daretur eccleſia, niſi quae omnium oculis ſeſe offerat, tempore ſuperſtitionis Baaliticae, ATHANASII, LIBERIIque ætate omnino periiſſet; ſed contrarium facile demonſtratur. Et ut ad rhombum redeam, tam credulum & temerarium vix crediderim fuiſſe GOTTIVM, ut ſibi perſuaſerit, viſibilem Romanam eccleſiam ſolis piis & electis conſtare. Stabit itaque noſtra diſtinctio ſalva & inconcuſſa, quam Theologi B. JO. GERHARDVS c), ABR. CALOVIVS d), DANIEL CHAMIERVS e), PETRVS MASTRICHT f) & JO. GVILIELM. BAIERVS g), ut alios taceam, invictisſimis evicerunt rationibus, & ratiunculas Pontificiorum ſolide proſtraverunt. Non leve pondus noſtrae accedet ſententiae ſuffragio JO. PRIDOSII, h) Anglicani Theologi, neque proletarii neque capite cenſi, qui ex indole regni Dei Luc. XVII. 20. & corporis Chriſti myſtici ratione 1. Cor. XII. 27. Epheſ. I. 23. ex praedictione Chriſti Jo. XVI. 20. 23. ex aſſerto Paullino, quod Deus noverit ſuos 2. Tim. II. 19. & ex muliere in deſertum fugiente, aliisque argumentis & teſtimoniis haud eludendis, ſatis dextre demonſtravit, eccleſiam militantem non ſemper eſſe viſibilem. Punctum diſceptationis ulterius in hoc verſatur argumento; utrum eccleſia viſibilis & ſplendore ſuo externo ſe nobis offerens propterea ſit vera, nec ne? Non inficiamur, nomine eccleſiae in ſcriptura ſacra ſaepe innui coetum aliquem hominum viſibilem, eandem fidem & ſacramenta profitentium; ſed de eo potisſimum concertatur, an ob hunc exter-

c) vid. ej. Confeſſ. Catholic. Lib. II. Art. V. Cap. I. p. 707. ſeq.

d) vid. ej. Syſtem. L.L. Theol. T. VIII. Cap. II. p. 261. ſeq conf. ej. Mataolog. Pap. p. 204.

e) vid. Panſtratiæ Cathol. Tom. V. Lib. I. Cap. XVII. p. 78. ſeq.

f) vid. ej. Theolog. Theoret. Pract. Lib. VII. Cap. I. § XXVIII. p. 775.

g) vid. ej. Diſputat. de falſo jactata perpetua luce & viſibilitate Eccleſiæ Chriſti adverſ. Scriptor. Anonym. Pontific. Chriſtian. a Langenau, ut fertur, emiſſ. in qua B. Muſæus vindic. Jen. 1675.

h) vid. ej. Op. Theologic. de Nat. Eccleſ. Cap. IV. Quæſt. III. p. 606. ſeq.

Digitized by Google

externum ſplendorem illa eccleſia iure appelletur vera, quod nullo modo largimur Romanenſibus. Inconcinne a viſibilitate ad veritatem eccleſiae concluditur, quod perapte iam dudum obſervavit B. MART. CHEMNITIVS i). Viſibilis erat tempore Eliae eccleſia, ſed ſpuria & corrupta, aderat tamen inviſibilis eccleſia luce deſtituta, ſed nihilominus vera.

§. XIII.

Novum ſe nunc offert diſputationis caput, quo aſſeritur: Romanum papatum veram eccleſiam operuiſſe, eamque inviſibilem reddidiſſe, immo evertiſſe. k) Hic ſtrepitum cachinnumque excitat GOTTIVS exclamando l): *At non vident coeci, ſe hoc dicto Chriſtum ipſum in ſuis promiſſis fallacem accuſare?* Matth. XVI. 18. Riſum Romanenſes, a CENTVRIATORIBVS MAGDEBVRGICIS, VSSERIO, PERKINSO, HALLIO, PFEIFFERO, HVNNIO, CHEMNITIO, & aliis, plus ſexcentis, feliciter proſtrati iamdudum rident Sardonium. Demonſtratum enim eſt ſatis, papatum quam maxime obſcuraſſe & operuiſſe eccleſiam veram, manente tamen, exiſtente, & durante ſemper eccleſia vera & pura. Non inficior, viguiſſe per aliquot ſaecula in ipſo Romanae eccleſiae gremio fidei puritatem, & veram fuiſſe Chriſti eccleſiam; ſed deinceps Romanam ab illa receſſiſſe, & ſucceſſu temporis tantis tenebris veram eccleſiam ſuffudiſſe, ut vera eccleſia his erroribus ſuppreſſa, vix fuerit conſpicua, in confeſſo eſt. Quid enim nova doctrinarum & inſtitutorum capita, de pontificis primatu, eius auctoritate falli neſcia, de iuſtificatione per ſatisfactiones, & operum merita, de transſubſtantiatione, purgatorio, cultu ſanctorum, imaginum & reliquiarum, & alia cultus ſuperſtitioſi argumenta, aliud, quam puriori eccleſiae attulerunt tenebras. Nec inopinato haec accidit eccleſiae deformitas, ſed legati Jeſu, ipſeque eccleſiae chriſtianae praeſul Chriſtus annunciarunt, futurum eſſe, ut labem maculamque veritati attrahat Anti-Chriſtus. Matth. XXIV. 24. 2. Theſſ. II. 9. 1. Timoth. IV. 1. Apoc. XII. 7 ſeq. Si nunc quaerit GOTTIVS: ubi haec extiterit eccleſia? regero, latuiſſe illam & gemuiſſe inter ipſos pontificios, quod ex CENTVRIATORIBVS MAGDEBVRGICIS, ſpiſſis ſatis voluminibus,

D 3

i) vid. Exam. Concil. Trident. Loc. I. Part. I. p. 64.
k) vid. l. c.
l) vid. l. c.

Digitized by Google

nibus, e FLACII Catalogo Teſtium veritatis, IACOBO VSSERIO m) & GVILIELMO PERKINSO n) facile colligitur. Niſi delituiſſet vera eccleſia inter ipſa papatus viſcera, unde tot per omnia ſaecula veritatis evangelicae teſtes, qui ex ipſo pontificiae eccleſiae gremio inſurrexerunt, & fidem puriorem adverſus excitata doctrinae & cultus monſtra recentius enata, cum bonorum vitaeque iactura propugnarunt, quod ALBINGENSIVM, WALDENSIVM, HVSSITARVM, aliorumque veritatis teſtium illuſtrant concertationes ſanguine ſuo confirmatae. Riſum vero tenere potuiſſet GOTTIVS, dum teſtam a noſtris Theologis prorſus confractam conſarcinat, & nobis imputat, quod ſtatuamus, Romanum Pontificatum eccleſiam Chriſti, contra expreſſam eius promiſſionem, prorſus evertiſſe & eradicaſſe, quod nullus noſtratium dixit, aut ſcripſit. Oppugnavit quidem & labefactavit Romana ſedes veram eccleſiam & erroribus illam replevit, ſed nunquam funditus extirpavit. Defoedavit proinde pontificia eccleſia Chriſti eccleſiam veram & puram, qua *externam formam* & ſplendorem, non vero qua *internam & eſſentialem formam*, *materiam* & ſalutis *inſtrumenta*. Verum eſt, quod de eccleſia dixit PAVLLVS: quod eccleſia Dei viventis ſit, ϛύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. 1. Tim. III v. 15.

§. XIV.

Concidit nunc & mole ſua ruit nova GOTTII accuſatio, qua adſerit, Reformatos ancipites & ambiguos eſſe, quaenam ſit, & ubi ſit vera Chriſti eccleſia? Audiamus GOTTIVM o). *Quia, quicquid dixerim cum Auguſtino, non minus, quam Donatiſtae, adhuc pertinaciter Reformati contendunt, eccleſiam viſibilem in papatu apoſtataſſe, & Deum eccleſiam ſuam occultaſſe, & inviſibilem in aliquibus ad tempus conſervare. Oſtendam, nec hac via eos ſcire poſſe, quaenam ſit, & ubi ſit vera Chriſti eccleſia.* Levis eſt haec GOTTII ratiuncula. Si veras eccleſiae notas, easque eſſentiales & falli neſcias didiciſſet, puram videlicet verbi divini praedicationem, & legitimum, & ex Chriſti inſtitutis, ſacramentorum uſum, certe non ſcripſiſſet GOTTIVS, nos animo fluctuare, ubi, & quae ſit vera Chriſti eccleſia. Quas dixi, notae, multo firmiores certioresque ſunt

m) vid. de Succeſſ. Eccleſ. in Occident. Cap. I. & II. p. 1. ſeq.
n) vid. ej. Op. Tom. I. in Demonſtrat. Problemat. de Cathol. Eccleſ. p. 351. ſeq.
o) vid. l. c. §. XVIII. p. 182.

Digitized by Google

ſunt illis, quas ſibi Romanenſes in externo eccleſiae ſplendore, origine ſedis Petrinae, ingenti multitudine, & aliis imaginariis characteribus, qui eccleſiae Chriſti neque omni loco, neque omni tempore reſpondent, gratis fingunt. Diluerem has ſpurias, & fallaces BELLARMINI notas, de eccleſia chriſtiana ex rationis liripippio excogitatas, niſi aliud ſuaderet agendi tractandique, quae me revocat, ratio, praeſertim, quum hac opera egregie ſit defunctus B. JOANNES NICOLAVS QVISTORPIVS p), Theologus Roſtochienſis, ſui ſaeculi ornamentum.

§. XV.

Reliquum eſt, ut frivolam & levidenſem GOTTII calumniam, a Noſtratibus ad nauſeam usque confutatam, aggrediar. Movit GOTTIVS camarinas illas, quae non Proteſtantibus, ſed Romanenſibus fœdiſſimum conciliarunt fœtorem. Haud taedet, bona fide ipſius recitare verba: q) *Pudebit forte vos veterum haereticorum auctoritate uti, quorum tamen errores ſequi non pudet? ſed nec pudeat, dummodo eos in omnibus vos imitari probetis. Ipſos ergo conſulite. Simon Magus, haereticorum coryphaeus, hominem eſſe liberi arbitrii, negavit primus; Hoc & vos cum Luthero & Calvino negatis: Aſſeruit, non eſſe neceſſaria ad ſalutem bona opera, ſed ſufficere fidem: hoc & vos cum Luthero ſentitis. Sed donum Dei poſſe pecunia poſſideri, mundum non a Deo creatum, ſed ab angelis, non eſſe futuram corporum reſurrectionem, animam tranſire de uno ad aliud corpus, quae Simon tenuit, vos reprobatis. Cerinthus & Ebion Chriſtum purum hominem dixerunt: hoc idem apud vos Sociniani ſentiunt, ſed in ceteris non conveniunt. Non eſſe admittendas traditiones, Gnoſtici, Marcionitae, & alii aſſeruerunt; hoc & vos aſſeritis, ſed in aliis ab eis diſſentitis. Aerius orationes & ſacrificia pro mortuis vobiscum exploſit. At ubi ille, ut vos, in eucharistiam, in cultum imaginum, in ſanctorum interceſſionem arma movit? Nusquam gentium. Vigilantius ſanctorum reliquiis, Iovinianus virginitati detraxit. Vtrique in his conſentitis: ſed non illi vobis in ceteris. Neque enim evertebant liberum arbitrium, neque erant a ſacrificio miſſae*

p) vid. ej. Diſſertat. de Bellarmini in Eccleſiam notis non notis. Edit. Roſtoch. 1681. In hac ſolidiſſima diſſertatione omnes has notas in compendio videbis invictis plane argumentis confutatas.

q) vid. l. c. §. XX. p. 186. ſeq.

Digitized by Google

ſectu conditum ait. Magnam huic ſpinoſae & ſtrigoſae perſuaſioni lucem accendit, quem dixi, St. EPIPHANIVS, ex cuius teſtimonio cum St. IRENAEI loco accurate collato addiſcimus, primum huius erroris, & ne quid gravius dicam, delirii fontem, a Manichaeiſmo longe lateque iam ante Manichaeos regnante eſſe repetendum, quod RADVLPHVS CVDWORTHVS x) & JO. CHRISTOPH. WOLFFIVS y) de hac Simoniana haereſi, maximis rationum argumentis ſuffulti, dextre iverunt demonſtratum. Pervetuſta fuit de duobus principiis, altero bono, altero malo, perſuaſio, quam in ſuorum errorum farraginem adoptavit SIMON, haereticorum facile princeps & antesignanus. Id extra omnem poſitum eſt dubitationem, originem tot, quae animam, & corpus noſtrum affligunt, malorum, dubiam ſemper traxiſſe mortalium mentem, & ob ancipitem huius quaeſtionis rationem mirum in modum fluctuaſſe gentiles. Qui limatioris acriorisque iudicii fuerunt inter gentiles, philoſophi, pudori ſibimetipſis duxerunt, Deum, cuius beneficia in mortales offenderunt innumera, cauſam appellare mali. Ex altera vero parte non defuerunt, qui, quum nullum huius mali inveſtigando demonſtrare poſſent argumentum, omnem in Deum transferrent culpam, rati, homines ex neceſſitate aliqua abſoluta, perpetuis, eisque graviſſimis obnoxios eſſe actionibus valde vitioſis. Quo animo EVRIPIDES z) de Helena cecinit:

ἑλένα δ᾽ ἐμόχθησ᾽ οὐχ᾽ ἑκοῦσ᾽ ἀλλ᾽ ἐκ θεῶν.

Helena vero venit in ærumnas, non volens, ſed divinitus.

Lege, ſodes, argumenta in utramque partem a gentilibus allata apud TOB. PFANNERVM a). Quanto vero obſcurior eſt huius rei notitia, quam ex lumine naturae haurimus, tanto illuſtrior eſt eiusdem argumenti revelatio, quam Scriptura ſacra nobis ſuppeditat. Exinde vel luſcus intelliget, revelationem divinam lumen naturae ſeu rationem multis poſt ſe relinquere ſtadiis. Gratam forte & utilem iliis, qui rem penitius rimari cupiunt, praeſtabo operam, ſi hanc inceptam Manichaeorum opinionem, quam ſatis apte deſtruxit MICHAEL PSELLVS, prolixius adduxero. Magna vero cum in-

 genii

x) vid. Syſtem. Intellectual. Cap. IV. §. XIII. p. 230.
y) vid. ej. Manichæiſm. ante Manichæos. §. XL. p. 174. ſeq.
z) vid. in Andromed. v. 680.
a) vid. Syſtem. Theol. Gentil. Purior. Cap. IX. p. 251.

genii & iudicii acie adverſus Manichaeos diſputat, & hoc de duobus principiis ſyſtema infringit PSELLVS b): *Ceterum duo principia non eſſe, quorum alterum bonum, alterum malum ſit, ut Manichaeorum aſtruit impietas, hinc haud dubie perſpicuum fiet. Bonum & malum inter ſe contraria ſunt, viciſſimque ſe interimunt, neque ſimul conſiſtere poſſunt, quemadmodum neque lux cum tenebris ſubſiſtere poteſt. Proinde horum unumquodque in parte univerſi futurum eſt, & primum horum unumquodque non ſolum ab univerſo, ſed etiam ab univerſi parte circumſcribetur.* Et paullo poſt: *Proinde duorum alterum in his eveniat neceſſe eſt, nimirum ut ea inter ſeſe conveniant, ſeſeque mutuo ferant, vel ut medium aliquod intercedat, quo bonum a malo ſecernatur, ſitque quaſi ſeptum quoddam tranſverſum, quo alterum ab altero dirimatur. Atque ita non iam duo, ſed tria erunt principia, quorum unum cetera velut in pace cuſtodiat, neceſſe eſt, quod quidem malum praeſtare nequit. Nam pacem cuſtodire, malum non eſt. Iam quod paci cuſtodiendae aptum eſt, id vero bellum movere, pugnareque non poteſt. Quo fit, ut unum principium relinquatur, idque bonum, & ab omni vitio liberum.* Quae ſobria PSELLI commentatio, ſi ab utroque conſideratur latere, duo Manichaeorum prorſus ſubvertit principia. Ex hoc gurgite profluxit error omnium peſſimus, quo ſtatuit SIMON, Deum, ſeu angelos, quos nequitiae poteſtates, teſte EPIPHANIO, appellavit, eſſe ſcelerum & flagitiorum cauſam, & naturam humanam ita eſſe conditam, ut proprio quodam motu & neceſſario voluntatis impulſu nihil aliud velit, nec poſſit, niſi ſcelera, & peccata committere, a qua propudioſa ſententia B. JAC. THOMASIVS c) SIMONEM non expurgat. Haec bene cum IRENAEI, & EPIPHANII conſpirant documentis. Prono ex hoc errore nexu fluunt humanae naturae, ad mala tantum agenda, determinatio, & omnium actionum moraliter bonarum ſuſpendium. Ademit igitur SIMON MAGVS hominibus omnem a coactione libertatem, & peccandi neceſſitatem impoſuit mortalibus ex principio interno, arbitratus, quod, me iudice, innuit IRENAEVS d), *deducere angelos per huiusmodi praecepta homines in ſervitutem.* Si itaque ex Simonianorum doctrina ſtatuenda eſt peccati neceſſitas, eaque abſoluta, omnes actiones ex neceſſitate fluunt malae, nec ulla homini libere

b) vid. Manichæor. Hæreſ. Confutat. p. 597. Biblioth. M. P. P. Tom. XVIII.
c) vid. ei Diſſert. XIV. §. 18. de Stoica mundi exuſtione.
d) vid. l. c. p. 95.

Digitized by Google

libere agendi reliqua eſt facultas. Bene hoc Manichaeiſmi vitium in articulo de libero arbitrio obvium annotavit WOLFGANG. FRANTZIVS e). Ex altera vero parte deinceps deviarunt PELAGIANI, qui facultatem iuſto nimiam attribuerunt hominibus, adſerentes, multas vires ad converſionem adhuc eſſe reſiduas. Nos ſine veritatis titulo Simonianorum labe commaculavit GOTTIVS, & noſtra, quam publicae luci expoſuimus, confeſſio Auguſtana luculenter docuit, Lutheranos media incedere via. Lege, obſecro, Lutheranorum confeſſionem de libero arbitrio ita conceptam f): *De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem iuſtitiam, & deligendas res rationi ſubiectas. Sed non habet vim ſine Spiritu ſancto efficiendae iuſtitiae Dei, ſeu iuſtitiae ſpiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quae ſunt Spiritus Dei; ſed haec fit in cordibus, cum per verbum Spiritus ſanctus concipitur.* Haud negatur, hominis voluntatem in ſtatu corruptionis ad mala ſpiritualia eſſe proclivem, ita, ut nihil ex viribus naturalibus poſſit facere, quod coram Deo vere iuſtum ſit & bonum. At ubi aſſeritur, quod haec naturae corruptio a malo aliquo principio, aut neceſſitate abſoluta, quam necesſitatem conſequentis appellant, non autem a ſolo dependeat peccato originali. Vti igitur noſtrae fidei confeſſores hanc evitarunt charybdin; ita omnem moverunt lapidem, ne in novam *Manichaeorum* inciderent ſcyllam, quae eſt inconcinna, & inepta illa opinio, qua ſtatuitur, peccatum originale eſſe ipſam hominis ſubſtantiam & eſſentiam. Vtraque MANICHAEORVM ſententia a fide Lutheranorum eſt oppido aliena. En noſtram, quae in *Formula* g) *Concordiae* adfertur, mentem: *Reiicimus atque damnamus, ut Manichaeum errorem, quando docetur, originale peccatum proprie, & quidem nullo poſito diſcrimine, eſſe ipſam hominis corrupti ſubſtantiam, naturam & eſſentiam.* Firmisſimis adſtruit JO. MVSAEVS h) rationum firmamentis, hoc ſyrma plurimis fidei noſtrae adverſari articulis. Omnis noſtri, quo infecti nunc ſumus, peccati fons, in lapſu protoplaſtorum, eorumque abuſu liberi arbitrii eſt quaerendus. Evaneſcit omnis mali principii ex noſtra eccleſia ratio. Vbi enim primi mortalium a Deo creati a ſuo in benignis-

 ſimum

e) vid. ej. Diſp. in Aug. Confeſſ. Diſputat. VIII. de Lib. Arbitr. Theſ. VIII. p. 568.
f) vid. Auguſtan. Confeſſ. Artic. XVIII.
g) vid. Epitom. Art. I. de Peccato origin. p. m. 576.
h) vid. ej. Prælect. in Epitom. Formul. Concord. ad Art. I. Theſ. XXII. p. 49. ſeq.

Digitized by Google

ſimum conditorem receſſerunt obſequio, ſe ipſos hac libertate & facultate privarunt, & gratioſis intra ſemetipſos peragendis operationibus obicem poſuerunt, & in ſuam ipſorum proni ruerunt perniciem. PETRVS proinde POIRETVS i) gravi cum iudicii acumine arbitratur, iuſtitiam Dei poſtulare, ut peccator privetur bonis Dei operationibus. Deſtitutus nunc homo in ſtatu corruptionis his gratioſis Dei operationibus, & piis ad bona peragenda illecebris, ad mala fertur peragenda, ſed cauſſa non in Deum, aut aliud principium malum, ſed in ipſum hominis lapſum, qui a liberi arbitrii abuſu dependet, ſolummodo redundat. Recedunt porro Lutherani a futili SIMONIANORVM naevo, & concedunt hominibus divina, eaque efficaci, luce nondum colluſtratis facultatem res moraliter bonas peragendi, quae ſi auferretur, diſcrimen inter vitia & virtutes ſuſtuleris. Satis dextre hanc quaeſtionem admodum difficilem introſpexit LVDOVICVS MOLINA k) vir admodum acutus, ita ſentiens: *Vt ad vires liberi arbitrii in homine, ſive in puris naturalibus, ſive poſt naturam lapſam ſpectato, accedamus, ſit haec concluſio: Cum ſolo concurſu generali Dei absque alio dono vel auxilio gratiae, poteſt homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius ſit vere bonum, ac virtutis opus: non tamen, quod fini ſupernaturali ſit accommodatum, quodque comparatione illius bonum ſimpliciter, ac virtutis opus dici queat.* Diſtinguit itaque inter illud bonum, quod fini naturali, & hoc, quod fini ſupernaturali eſt conſentaneum. SIMONIANOS ſi ſpectes, haec facultas ex ipſorum mente prorſus in homine exulat. Largimur ulterius, libertatem adhuc eſſe in homine circa res ſacras natura cognoſcendas & peragendas, nec non circa externas actiones, easque paedagogicas. Quas ſi negaveris, inficieris neceſſe eſt, gentiles, ope luminis naturae, legis ipſis non revelatae opera feciſſe, quod tamen adfirmat Paullus Rom. II. 14. 15. Sed alia eſt rerum mere ſpiritualium ratio, in quibus ſeſe offert defectus longe maximus, quod PELAGIANI renuunt. Taedioſo hactenus labore, ſed iis profecto non inutili, qui hanc controverſiam ſine partium ſtudio cognoſcere ſtudent, ſum defunctus. Mitto nunc ea,

i) vid. ej. Cogitation. Rational. de Deo, Anima, & Malo, Lib. III. Cap. XXI. §. VIII. p. 595.

k) vid. ej. Concord. Liberi Arbitrii cum Grat. Don. Quæſt. XIV. Art. XIII. Diſput. V. p. m. 17. Edit. Antwerpian.

Digitized by Google

ea, quae de liberi arbitrii negatione in ſpiritualibus poſt lapſum in ſtatu peccati adferuntur, & male in noſtram detorquentur calumniam, argumenta, quum partim laudatus SIRICIVS, partim Confeſſio noſtra Auguſtana, & innumerae in illam commentationes hanc nobis abluant labem, qua ſe Romanenſes peſſime defoedant. Intelligent nunc Romanenſes, Lutheranos his deploratis SIMONIANORVM cauſſis minime patrocinari.

§. XVI.

Tranſit GOTTIVS ad novum, quod SIMONI non niſi ex Romanenſium imputatur ignorantia, erroris genus. Si quaeris, quale ſit? reſpondet GOTTIVS cum fece & plebe Romanenſium: adſeruit SIMON, non eſſe neceſſaria ad ſalutem bona opera, ſed ſufficere fidem; *hoc &*, inquit, *vos cum Luthero ſentitis.* Hic leonem ex unguibus, & GOTTIVM cognoſces ex cavillationibus, & ſi quid vilius iſtis. O ſi bonus GOTTIVS, qui coecos duxit diſcipulos, introſpexiſſet penitius Simonis haereſin, forte cum FEVARDENTIO l), tam impudenter & inſulſe non iudicaſſet. SIMON, teſte EPIPHANIO, m) hominibus perſuaſit, ſe ipſum eſſe Chriſtum, in quem per transmigrationem fuerit mutatus, & ſe ſolum cum ſua meretricula Selene habere ſalvandi poteſtatem. Prolixo filo hoc argumentum St. IRENAEVS n), cui prae aliis fides haud deneganda eſt, pertexuit: *Hic igitur a multis quaſi Deus glorificatus eſt, & docuit, ſemetipſum eſſe, qui inter Judaeos quidem quaſi Filius apparuerit, in Samaria autem quaſi Pater deſcenderit, in reliquis vero gentibus quaſi Spiritus ſanctus adventaverit. Eſſe autem ſe ſublimiſſimam virtutem, hoc eſt, eum, qui ſit ſuper omnia pater, & ſuſtinere vocari ſe, quodcunque eum vocant homines. Simon autem Samaritanus, ex quo univerſae haereſes ſubſtiterunt, habet huiusmodi ſectae materiam. Hic Selenen quandam, quam ipſe a Tyro, civitate Phoenices, quaeſtuariam cum redemiſſet, ſecum circumducebat, dicens, hanc eſſe primam mentis eius conceptionem, matrem omnium, per quam in initio mente concepit angelos facere & archangelos.* Et paullo poſt ſtatuiſſe dicitur: *Prophetas, a mundi fabricatoribus Angelis inſpiratos, dixiſſe prophetias: quapropter nec ulterius curarent eos*

E 3

l) vid. ej. Theomach. Tom. II. Lib. XIII. Cap. 37. p. 230.
m) vid. ej. Hæreſin. I. p. 56.
n) vid. ej. Lib. I. adverſ. Hæreſ. Cap. XX. p. 94. & 95.

Digitized by Google

eos hi, qui in eum, & in Selenen eius ſpem habeant, & ut liberos agere, quae velint: ſecundum enim ipſius gratiam ſalvari homines, ſed non ſecundum operas iuſtas. Aperuit porro omnibus vitiis & ſceleribus vias, & vel ſpurciſſimis homuncionibus gratiam pollicitus eſt & ſalutem. Quam abſone autem haec a GOTTIO Lutheranis tribuantur, vel Davus intelliget. Nam *primo* Lutherani bona opera non expungunt, ſed tanquam fidei & iuſtificati hominis fructus laudant, extollunt, & inculcant. Audi noſtros confeſſores o): *Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in eccleſia praecipuam eſſe, tam diu iacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes neceſſe eſt, de fidei iuſtitia altiſſimum ſilentium fuiſſe in concionibus, tantum doctrinam operum verſatam eſſe in eccleſiis, noſtri de fide ſic admonuerunt eccleſias. Principio, quod opera noſtra non poſſint reconciliare Deum, aut mereri remiſſionem peccatorum, & gratiam, & iuſtificationem, ſed hanc tantum fide conſequimur, credentes, quod propter Chriſtum recipiamur in gratiam, qui ſolus poſitus eſt mediator, & propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit, operibus ſe mereri gratiam, aſpernatur Chriſti meritum & gratiam, & quaerit ſine Chriſto humanis viribus viam ad Deum, cum Chriſtus de ſe dixerit: Ego ſum via, veritas, & vita.* Si nunc Lutherani eo nomine appellandi ſunt SIMONIANI, GOTTIVS hanc ipſam labem Paullo, qui hanc exaſciavit doctrinam, prorſus inurit. Fidem *ſecundo* in Chriſtum ſolum eſſe iuſtificationis medium, excluſis bonis operibus, cum Scriptura ſacra ſolide confirmant. En confeſſorum noſtrorum ſententiam & Symbolum p): *Item docent, quod homines non poſſint iuſtificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, ſed gratis iuſtificentur propter Chriſtum per fidem, cum credunt, ſe in gratiam recipi, & peccata remitti propter Chriſtum, qui ſua morte pro noſtris peccatis ſatisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iuſtitia coram ipſo.* Rom. III. & IV. *Tertio* Chriſtum unicum ſalutis noſtrae ſtatorem & vindicem proponunt. Sed SIMON haec de ſe ipſo eructavit, teſte IRENAEO q), *Ipſum veniſſe, ut hominibus ſalutem praeſtaret per ſuam agnitionem.* Diſcere nunc velim a GOTTIO, quae & qualis ſit conſequentia? Lutherani, voluptatibus & ſceleribus litandum eſſe cum Simone Mago, nullibi dicunt, neque propo-

o) vid. Auguſt. Confeſſ. Art. XX. p) vid. Auguſt. Confeſſ. Art. IV.
q) vid. l. c. p. 95.

Digitized by Google

proponunt. Lutherani fidem ſuam non in Simone habent collocatam, neque illum ſalutis admittunt ſponſorem, ſed ſolum, quem pie devenerantur, Chriſtum Filium Dei. Ergone erunt Simoniani? Nemo noſtrum ad Simonem in ſalutis negotio ablegatur, ſed ad Chriſtum omnis ſalutis adducitur fontem. Statuisne, illos Simonianos eſſe dicendos? Nunquam id dixerim! Non opus eſt, ut huic criminationi ulterius inhiem, quam cum pondere iamiam enervavit, quem ſupra adduxi, SIRICIVS r). Niſi me retinerent modeſtiae limites, parem calculum GOTTIO ſummo cum veritatis argumento reponerem, ipſique ad oculum demonſtrarem, Romanam eccleſiam bonorum operum aeque ac fidei verae & ſalutaris eſſe prorſus impatientem. Quaecunque enim religio omnia ſcelera numerata pecuniae ſumma expiat, ad proprias ſatisfactiones in fraudem ſatisfactionis a Chriſto praeſtitae adigit, & hominem peccatorem ad S. Mariae, aliorumque ſanctorum merita, interpellationes, & ſuffragia ablegat, illa eſt eccleſiae fideique Apoſtolicae e diametro adverſa. Si hoc enodare vellem argumentum, & rei addere teſtimonia, pateſceret, Romanam eccleſiam omnium haereſium laborare colluvie, quod evicit JVRIEVS s). Sermonem GOTTIVS ulterius in CERINTHIANOS & EBIONITAS transfert, adſeritque t): *Cerinthus & Ebion Chriſtum purum hominem dixerunt; hoc idem apud vos Sociniani ſentiunt; ſed in caeteris non conveniunt.*

§. XVII.

Movet nunc GOTTIVS CERINTHIANORVM & EBIONITARVM camarinas, quibus Proteſtantes conſpurcare ſatagit. CERINTHVM de divinitate Jeſu ſiniſtre ſenſiſſe, Chriſtumque nudum hominem fuiſſe, cum impudentia debuccinaſſe, teſtis eſt St. IRENAEVS u). Eiusdem furfuris fuiſſe EBIONEM, cuius natales complures, teſte S. Ven. JO. LAVR. MOSHEMIO, x) vocant in dubium, rei vadem ſe praeſtat THEODORETVS y). Lubenter cum Gottio facio, illique ſuffragor, CERINTHVM & EBIONEM Chriſto bellum ſcripſiſſe, & cornua ſua minacia eius divinitati oſtendiſſe.

r) vid. l. c. Theſ. 60. p. 53.
s) vid. le vray Syſteme de l' Egliſe p. 608. ſeq
t) vid. l. c. p. 187. u) vid. Lib. I. de Hæreſ. Cap. XXV. p. 102.
x) vid. ej. Diſſertat. qua oſtenditur: Certo hodie & explorate conſtitui non poſſe, utrum Ebion extiterit, nec ne? vid. Diſſ. ad Hiſtor. Eccleſiaſt. Vol. p. m. 513. ſeq.
y) vid. Hæreticar. fabular. Lib. II. Cap. I. p. 429.

Digitized by Google

diſſe. Habet me conſentientem, SOCINIANOS hoc ſparſum haereticorum venenum cum voluptate ligurire, & Chriſtum pro Deo aſcititio habere; ſed haec tela Lutheranos non feriunt. In tuto ſunt Lutheranorum res, neque illis cum SOCINIANIS hoc in articulo intercedit commercium. Quos dixi Lutherani Socinianos in ſuam familiam nunquam admiſerunt, neque illos in Auguſtanae Confesſionis ſociorum adſciverunt numerum. Quicquid itaque ſomnient, effutiant & delirent SOCINIANI, in Articulo de Chriſto, tantum abeſt, ut plectantur Achivi, ut potius Proteſtantes hoc careant naevo. Res igitur noſtra non agitur, ſed Romanenſium, quorum paries proximus ardet, ſi SOCINIANOS appellas. Id ſane nobis nullo modo imputari poteſt. Tam temere a nobis non agitur, ut Romanenſibus imputemus, illos doctrinam de Chriſto habere pro fabula, neque reſurrectionem, neque denique poenas & praemia ſperare futura, quia nonnulli Chriſti in terra (ſi Diis placet) vicarii hos errores rei Chriſtianae exitiales foverunt z). Tam ficulneis & proletariis Lutherani non pugnant argumentis. Aſt quid in argumento plano & ſole clariore haeſito? Quid fluctuo? Introvertendam eſſe video GOTTII rationem, qua nobis aegre facere nervum intendit. Uterque SOCINVS, & LAELIVS, & qui ex hac vipera prodiit FAVSTVS, Romanae eccleſiae ſunt alumni, & neutiquam Proteſtantibus, nedum Lutheranis adſcribendi. Non ex noſtro, ſed Romanae eccleſiae nido latebriſque hi proſilierunt veritatis divinae hoſtes longe infeſtiſſimi perditisſimique. Ecquis enim, bone Deus, ignorat, LAELIVM SOCINVM, nobilem Senenſem, virum natalium ſplendore clarum & ſanguine & affinitate multis Italiae ducibus coniunctum, ut fuſius tradunt LVBINIECIVS a), SANDIVS b), HOTTINGERVS c), ABRAH. CALOVIVS d), & LVD. ELLIES DV PINIVS e), ex Italia fuiſſe oriundum. Arridet illorum, quibus non contingit adire Corinthum, & e fontibus bibere, ſublevare

z) vid. Dan. Chamieri Panſtrat. Cathol. Tom. II. Lib. XVI. Cap. XVI. de ſceleribus Anti-Chriſti p. 350. ſeq.

a) vid. in Hiſtor. Reform. Polon. p. 39.

b) vid. ej. Biblioth. Anti-Socinian. S. Anti-Trin. p. 18. ſeq.

c) vid. ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæc XVI. Part. V. p. 421.

d) vid. ej. Decas Diſſertat. de Pſeudo-Theologiæ Socinianæ ortu, methodo, & progreſſu. §. VII. ſeq. p. 1. ſeq.

e) vid. Bibliotheque des Auteurs ſeparez de la Communion de l' Egliſe Romaine Tom. I. p. 268.

Digitized by Google

vare inopiam, & ex SAMVELE PRZIPCOVIO f) FAVSTI tradere natales: *Patria*, inquit, *viro celeberrima urbs Hetruriae Senae. Gentis antiqua nobilitas & cognationum ſplendor ultra privati hominis ſortem illuſtris. Patri praeter gentilitia decora acceſſerat e materno ſanguine Salvettorum nobilitas: quae gens apud Florentinos ea quondam potentia floruit, ut expulſus Senis Pandulphus Petruccius Pauli Salvetti potiſſimum auxilio & opibus reſtitutam patriam, & principatum ſuum mox debuerit. Quo beneficio obſtrictus Senenſis ipſi civitatis ius contulit, & ut patriam cum Senis commutaret, perſuaſit. Hic Paullus Camillae pater fuit, quae Mariano iuniori nupta, Alexandri & Laelii Socinorum mater, Fauſti fuit avia. Mater, ne in privatam quidem ſpem ſuſcepta, patre Burgeſio Petruccio Senenſis quondam reipublicae principe, matre Victoria, Piccolominea genita. Quae cum eſſet Andreae Piccolominei Caſtillionis & Piſcariae domini filia, Pii II, & III. Pontificum neptis, Joannis Cardinalis Piccolominei, ducum Amalphitanorum, Marchionumque Capiſtrani, Comitumque Calani, multorumque aliorum Italiae procerum ſoror aut conſobrina, nupſit in domum Petrucciam, quae tunc Senenſis principatus fortunam tenuit. Sed Burgeſius, Pandulpho patri ſuccedens, & mox vertentibus fatis pulſus, non diu dignitati fuit ſuperſtes. Succesſit tamen ipſi in regimine patriae Raphael, Cardinalis Petruccius, atque illius reipublicae gubernacula aliquandiu tenuit.* Sed quid ſollicitus ſum de illuſtri SOCINI proſapia, quam verboſius tradit BAELIVS g). Salva nunc res eſt. Utrumque SOCINVM ſibi vindicat Italia, adeoque etiam Romana eccleſia. Neuter horum Lutheranorum amplexus eſt fidem, ſed LAELIVS, ubi Germaniam peragravit, Tiguri obiit. FAVSTVS autem, infelix LAELII heres, acceptos a patruele ſuo errores omnium peſſimos, in ipſa Italia, in aula Ducis Florentini, in Helvetia, in Tranſylvania & Polonia diſſeminavit inter ipſos Romanenſes. En, par nobile fratrum Romanae eccleſiae prorſus donandum! Si GOTTIVS de Socinianorum litigat erroribus, frivole nobis inurit labem, & tranſverſo SOCINIANORVM errores perluſtravit oculo.

§. XVIII.

Aſt enim vero praevideo, quid mihi GOTTII defenſores forte reſpondere poſſent: GOTTIO nimirum diſceptationem eſſe

F cum

f) vid. Vit. Fauſt. Socini in cogitat. ſacr. p. 419.

g) vid. Dictionaire hiſt. & critique Tom. IV. vid. voc. Socin. p. m. 228.

cum JOANNE CLERICO, quod titulus ipſe indicaret, qui ita eſt conſtructus: *Liber adverſus Joannem Clericum, Reformatae, ut aiunt, religionis hominem.* Acquieſcerem, neque Lutheranae religionis defendendae in me ſuſciperem cauſſam, ſed CLERICI amicis hanc relinquerem provinciam, niſi GOTTIVS Lutheranorum ſimul aggreſſus eſſet circulos, a quibus haec GOTTII tela, frivole & ſatis aſtute emiſſa, caute ſunt repellenda. Diſerte enim purpuratus pater Reformatos & Lutheranos ſocio nexu coniungit, & in quavis haereſi, qua nos commaculat, addit verba: *hoc & vos cum Luthero & Calvino negatis.* Excitabo denuo, quae noſtros corymbos concernunt verba: *Cerinthus & Ebion Chriſtum purum hominem dixerunt; hoc idem apud vos Sociniani ſentiunt, ſed in ceteris non conveniunt.* h). Si igitur Romanenſes haec Gottii verba in aliam interpretentur ſententiam, & Lutheranos ab hac macula abſolvant, ſatius egerint. Moneo itaque *primo*, GOTTIO planius fuiſſe ſcribendum, & de Lutheranis pariter ac Reformatis mitius ſentiendum. *Secundo* urgeo, a particulari ad univerſale non valere conſequentiam. Si JO. CLERICVS Socinianiſmi naevos aluit, & illos novi, quam concinnavit, Teſtamenti invexit translationi, inde non ſequitur, omnes Reformatos, & quos iis aſſuit, Lutheranos, hanc erroneam fovere perſuaſionem, & errores rei Chriſtianae adprime noxios. De his, quae tota eccleſia vel Reformata, vel Lutherana, unanimi conſenſu, in doctrinae recepit corpus, capitibus tanto viro erat diſputandum. Etenim eccleſiae cuiusdam doctrinae non ex privati hominis ſcripto, & arbitrio, ſed ex totius eccleſiae articulis in Symbolum receptis ſunt diiudicandae & decidendae. Quod reliquum eſt, GOTTIO non ſuccenſeo, quod calamum ſuum adverſus CLERICI Socinianiſmum direxit, quo in opere iam ante GOTTIVM occupatus fuit PHILIPPVS MESNARDVS i), qui integris decem ſectionibus CLERICI Teſtamentum oppido dilucidavit, & effata, quibus abuſus eſt ſaepius dictus CLERICVS, ſacra, enixe vindicavit, quem ducem ſecutus eſſe videtur GOTTIVS, licet MESNARDI nomen, neſcio, quam ob cauſſam, tacendo praeterierit. Quam concertationem meam non facio, ratus, noſtram rem ſolummodo eſſe agendam, ne tela praeviſa nobis noceant. §. XIX.

h) vid. l. c. p. 187.

i) vid. Eſſai ſur le Socinianiſme ou Reflexions ſur quelques Articles de la doctrine de M. le Clerc touchant les Sociniens & Examen de quelque Paſſages de ſon Nouv. Teſtam. Francois, a la Haye Anno MDCCIX.

Digitized by Google

§. XIX.

Prolabitur GOTTIVS porro ad GNOSTICOS & MARCIONITAS, & his fidiculis Lutheranos vellicat k): *Non eſſe admittendas traditiones, Gnoſtici, Marcionitae & alii aſſeruerunt, hoc & vos aſſeritis, ſed in aliis ab eis diſſentitis.* Erumpit iterum, ſi vel maxime id celare velis, GOTTII mendacium. Utrique eccleſiae primitivae hoſtes, & GNOSTICI & MARCIONITAE, teſtibus IRENAEO, EPIPHANIO, & AVGVSTINO, veras & puras Apoſtolorum traditiones ſcriptas non prorſus repudiarunt, ſed quod ipſis ad palatum videbatur, ex evangeliis & epiſtolis retinuerunt, repudiatis & damnatis ceteris. Praeterea varia mentiti ſunt ſpuria ſcripta. Proinde hoc fulmen nos non ferit. Nos traditiones divinas apoſtolicasque accepimus, quibus conſtanter inhaeremus, ſpurias vero & ſuppoſititias, quas Romanenſes cum excitatis haereticis fingunt, traditiones humanas merito reiicimus. Quem griphum, meo quidem iudicio, iam dudum feliciter diſſolvit IRENAEVS, qui non negat, fidem, quam fovebant Chriſtiani, accepiſſe ab apoſtolis eccleſiam Chriſtianam. De his Apoſtolorum traditionibus in codice ſacro comprehenſis haec tradit IRENAEVS l): *Tantae igitur oſtenſiones cum ſint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile eſt ab eccleſia ſumere; cum apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſime in eam contulerint omnia, quae ſint veritatis: Uti omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitae: Haec eſt enim vitae introitus: omnes autem reliqui ſunt fures & latrones. Propter quod evitare quidem oportet illos, quae autem ſunt eccleſiae, cum ſumma diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.* Haec in ſuum uſum convertit MASSVETVS, veritatem traditionum apoſtolicarum inde demonſtraturus. RENATO vero MASSVETO a ven. SALOMONE DEYLINGIO m) ad frivolam hanc levemque commentationem ita reſponſum eſt, ut adverſarii hiſcere nondum fuerint auſi. Aequi nunc rei arbitri facile intelligent, verum eſſe, quod poeta canit:

In foveam merulis intentus decidit auceps!

Sacrificia miſſatica, & orationes pro defunctis male a Romanenſibus celebrari, nos non demum AERIVS, ſed iam dudum apoſtoli

 Jeſu

k) vid. l. c. p. 187. l) vid. Lib. III. Cap. IV. p. 205. Edit. Oxonienſ.
m) vid. ej. Obſervat. Miſcell. Part. IV. Exercitat. I. adv. Maſſuet. §. IV. p. 15. ſeq.

Digitized by Google

Jeſu in ſuis edocuerant ſcriptis. Gratis proinde ſcribit GOTTIVS n): AERIVS *orationes & ſacrificia pro mortuis vobiscum exploſit* &c. VIGILANTIVM nunc & JOVIANVM producit in medium, de quibus ita ſentit purpuratus quondam GOTTIVS o): VIGILANTIVS *ſanctorum reliquiis*, JOVIANVS *virginitati detraxit. Vtrique in his conſentitis : ſed non illi vobis in ceteris.* Agerem de utroque, ſed quum VIGILANTII p) & JOVIANI q) ſententias prolixe iamiam ſub examen vocarim, horum omitto errores, ne cramben apponam multoties recoctam. Procul haec ſunt a Lutheranis GOTTII fulmina. Neque AERII, neque VIGILANTII, neque denique JOVIANI ſententiae nobis excutiunt pudorem. Sacrificia miſſatica non AERII, ſed Scripturae ſacrae auctoritate retundimus; reliquiarum cultum merito, tanquam officium cultui religioſo noxium extrudimus, & St. HIERONYMI aeſtum, quo VIGILANTII ſubvertit mentem, oppido improbamus. Virginitatem denique magni aeſtimamus, PAVLLI adiuti effato 1. Cor. VII. v. 37. 38. At vitam, quae aetate JOVIANI clanculum in eccleſiam chriſtianam irrepſit, votivam, cum opinione meriti & conditionis vitae ſociae prorſus anteferendae, ſine rubore explodimus. Demonſtravit GOTTIVS, noſtram confeſſionem Auguſtanam r) ſe non legiſſe, alias magis ſobrium, de Iovinianorum & Lutheranorum in hoc argumento doctrina, protuliſſet iudicium. Et ne quid cavillationis deſit, adiicit GOTTIVS EVNOMIANOS s), quorum labe nos conſpurcat his verbis: *Docuit vobiscum Eunomius, homini fidem habenti peccata non obeſſe, ſed male de Trinitate cum Arianis ſentiebat, quod vos ſaltem omnes aſſerere erubeſcitis.* Sufficere fidem ad ſalutem, tametſi homo peccata committat, & in iis perſeveret, neque Lutherus, neque eius diſcipuli per ſomnium cogitarunt. Nota eſt in vulgus noſtra de poenitentia confeſſio, quae contritionem habet antecedentem, iuſtum videlicet & non fucatum de peccatis agnitis dolorem, quem deinceps ſequitur fides in Chriſtum. Praeſtolamur porro ab homine iuſtificato ſigna & fructus in vitae ſanctitate conſpicuos. Si haec altius penſitaſſet GOTTIVS, & Auguſtanam confeſſionem de iuſtificatione t) & poenitentia u) vel fugitivo perluſtraſſet oculo, haec

non

n) vid. l. c. p. 187. o) vid. l. c. p. 187.
p) vid. Exercitation. Anti-Trombell. Tom. I. Part. I. Exercitat. X. p. 95. ſeq.
q) vid. l. c. r) vid. Abuſ. Art. VI. de Vot. Monachor.
s) vid. l. c. p. 187. t) vid. Art. IV. de Juſtificat.
u) vid. Art. XII. de poenitent.

Digitized by Google

non ſcripſiſſet. Diſcuterem has criminationes verboſius, niſi ad illas a Theologis gravisſimis, e quibus eminent B. MARTINVS CHLADENIVS x) & FRANCISCVS ALBERTVS AEPINVS y), ſolidisſime eſſet reſponſum. Redeo nunc, unde ſum digreſſus, eccleſiae chriſtianae unitatem, vinculumque per litteras communicatorias firmatum prolixius expoſiturus.

§. XX.

Quo fidei unitas inter Chriſtianos diverſis in regionum locis commorantes adſervaretur, nullum medium his ipſis, de quibus agere conſtitutum eſt, litteris fuit melius praeſtantiusque. Circa ipſam harum litterarum notionem, earumque uſum, monendum eſt, illas litteras appellari a patribus primitivae eccleſiae *eccleſiaſticas*, *formatas* & *canonicas*. *Eccleſiaſticae* dictae ſunt, quia in eccleſiae potisſimum uſum vergebant; *canonicae*, quia vim canonis eccleſiaſtici habebant, & admittendi, repudiandique homines ſuſpectae fidei poteſtate erant inſtructae; *formatae*, quia, qua formam internam e ſagaciorum virorum ſententia certis notis & characteribus, & qua formam externam crucis ſigno, & deinceps ſigillo epiſcopali erant ornatae, quod diverſum harum litterarum nomen non praeterierunt BINGHAMIVS z), CABASSVTIVS a), SVICERVS b), DOVGTAEVS c), HENRICVS SPONDANVS d), FRANCISCVS BERNHARDINVS FERRARIVS e), POMPONIVS SARNELLIVS f), PHILIPPVS PRIORIVS g) & alii auctores, quos FABRICIVS h) & ITTIGIVS i) annotarunt. Nonnulli vero ex hoc auctorum albo primis tantum, quod tractamus, argumentum attigerunt digitis, ut ceperim conſilium, totum hoc caput admodum ſalebro-

x) vid. ej. Diſſertat. Theol. Anti-Pontific. de Hæreſibus antiquis falſo nobis imputatis, habit. Witeberg 1711.

y) vid. Diſſertat. qua religio Lutherana ab imputato cum hæreticis IV. priorum ſæculorum conſenſu vindicatur. Edit. Roſtochii 1711.

z) vid. Origin. Eccleſiaſtic. Vol. I. Book II. Chap. IV. Sect. V. p. 97.

a) vid. ej. Notit. Eccleſiaſt. Sæc. II. Diſſert. VII. p. 32.

b) vid. ej. Theſaur. Eccleſiaſt. Tom. II. ad voc. *συστατικὸς*, p. 1195.

c) vid. ej. Analect. Sacr. Part. II. excurſ. LXXXI. p. 121.

d) vid. ej. Annal. Eccleſiaſt. ad ann. Chriſti 142. §. VI. p. 163.

e) vid. ej. Lib. de antiqu. epiſtol. Eccleſiaſt. genere Mediol. Edit. 1613.

f) vid. Lettre Eccleſiaſtique Tom. II.

g) vid. Libr. de Epiſtolis canonicis. Edit. Pariſ. 1675.

h) vid. ej. Bibliograph. Antiqu. Cap. XXII. p. 638.

i) vid. ej. Bibliothec. & Cat. Patr. p. 238.

Digitized by Google

lebroſum. diſſitum, & hiulcum, enixius pertractandi. Laudatis auctoribus quoque adiiciendus eſt JOANNES BARTHOLDVS NIEMEIERVS k), qui hoc litterarum formatarum genus, prout tulit inſtituti ratio, perfunctorie expoſuit. Penitius autem has litteras canonicas conſideraturi, ad *tres* potiſſimum *claſſes* referri poſſe omnes eccleſiaſticas epiſtolas, ſtatuimus.

§ XXI.

Ingens propemodum eſt harum litterarum formatarum & canonicarum, quas in compendio exhibuit FERRARIVS l) ſupra laudatus, numerus, ſed commode omnes illae ſpecies ex ordine BINGHAMI ad *tres* referri poſſunt *claſſes*. *Prima* harum litterarum formatarum claſſis BINGHAMIO eſt litterarum *commendatitiarum* ſeu συςατικῶν, quibus melioris ſortis homines ornati ſunt, ut maiori ſtudio, & honoris obſequio ab exteris reciperentur, de quibus tamen litteris commendatitiis, ſi conciliorum LAODICENI, CARTHAGINENSIS, ANTIOCHENI, & AGATHENSIS perluſtramus canones, non levidenſes occurrunt griphi, ſuo loco a nobis enixius inveſtigandi & reſcindendi. *Secunda* claſſis nobis cum laudato BINGHAMIO m) eſt litterarum *communicatoriarum*, quae appellantur εἰρηνικαὶ, pacificae, κοινωνικαὶ, & communicatoriae & formatae. Sub hoc nomine omnes intelligimus litteras *ſynodicas*, *encyclicas*, ſeu *circulares*, quibus vel tota, vel quaedam eccleſiae de re aliqua ſcitu neceſſaria, certiores erant reddendae. Quorſum ſpectant litterae de die Paſchatis celebrandi, de ieiuniis, de facto quodam ſingulari, quod noſſe intererat totius eccleſiae, ut vel laetandi vel condolendi inde caperet argumentum. Quem in cenſum potiſſimum venit epiſtola circularis a Smyrnenſibus, de St. POLYCARPI, huius eccleſiae praeſulis longe graviſſimi, & conſtantisſimi, martyrio adornata n). Quod arctisſimum totius eccleſiae chriſtianae vinculum per litteras formatas adſervandum indicat OPTATVS MILEVITANVS his verbis: *Cum quo (videlicet Damaſo Romanae ſedis praeſule) nobis totus orbis commercio formatarum in una communio-*

nis

k) vid. ej. Tractat. Theologic. de Diſcipl. Eccleſiaſt. Diſſertat. III. §. XII. p. 102.

l) vid. l. c. p. 97. ſeq. m) l. c. p. 97.

n) vid. S. S. Patr. Apoſtolic. Vol. II. p. 193. Edit. Cotelerian.

Digitized by Google

nis ſocietate concordat o). Porro hoc nomine veniunt litterae *communicatoriae*, ſeu *pacificae*, quae Chriſtianis peregre proficiſcentibus ab epiſcopo in fidei teſſeram ſubminiſtrabantur, ut in fidei commercium libere reciperentur. Nullum diſcrimen has inter litteras *communicatorias* ſeu *pacificas* eſſe conſtituendum, ſed unam eandemque rem diverſis his nominibus exprimi arbitratur CABASSVTIVS p), cui hoc in momento ſuffragium noſtrum haud denegamus. Illi enim, qui litteris communicatoriis erant donati, pace cum eccleſia fruebantur, neque ulla lapſorum laborabant macula, ſed ſine omni periculo in Chriſtianorum recipiendi erant familiam. *Tertiam* harum litterarum *claſſem* conſtituunt litterae clericae, ad quas referes litteras *conceſſorias*, *communicatorias*, *dimiſſorias*, & alias complures, quae ad clerum potiſſimum ſpectant, & quarum diverſa nomina recenſet FERRARIVS. Protraxit MATTH. LARROQVANVS q) tria exemplaria Epiſtolarum formatarum graeca, hactenus inedita, e latebris, quae nobis uſum epiſtolarum commendatitiarum & dimiſſoriarum ſatis apte exponunt. Solebant enim eccleſiae praeſules litteris ſynodicis de rebus in ſynodis ſub incudem miſſis, & reliquis excitatis litteris, vel de auſpicio ſui muneris, vel dimiſſione epiſcoporum, aut aliorum clericorum, aut aliis negotiis exteris ſignificare rem geſtam, ut vel ſacro officio initiatos, vel rude donatos clericos ad alias eccleſias emigrantes, in circulos ſuos admitterent, vel illos, ſi litteris deſtituerentur dimiſſoriis, prorſus eliminarent. Huc merito referes Epiſcoporum, immo & Romanorum praeſulum epiſtolas, quibus, poſt electionem, imperatori, & reliquis epiſcopis, fidei, doctrinaeque, quam aſſervarent, rationem reddere ſolebant. Si vero quidam epiſcopus ſuſpectae videbatur fidei, litterarum commercium abſtulerunt, & fidei teſſeram cum ipſo alendam confregerunt purioris doctrinae doctores & epiſcopi. Iudicatu proinde haud diffi-

o) vid Biblioth. P. P. M. Tom. IV. Lib. II. p. 347. Edit. Lugdunenſ. Vitium procul dubio Librarii eſt, obſervante GVIL. CAVEO, quod legitur Siricius, quocum OPTATVS Milevitanus in Numidia Epiſcopus, prætendit Eccleſiæ communionem. Floruit enim Optatus Milevitanus circa annum CCCLXVIII. Damaſo Eccleſiae Romanae clavum, & Valente imperii faſces tenentibus. Siricius autem nonniſi regnante Theodoſio circa annum CCCLXXXIV. Eccleſiam Romanam gubernavit. Aliena itaque manu additum eſt nomen SIRICII, & rectius legitur Damaſus, vid. ej. Hiſtor. Litter. ad Sæc. IV. p. 148.

p) vid. Notit. Eccleſiaſt. Sæc. II. Diſſertat. VII. p. 32.

q) vid. ej. Adverſar. Sacr. Appendic. p. 541. ſeq.

Digitized by Google

difficile eſt, quid CYPRIANVS r) his ſibi velit verbis: *Cumque poſt haec omnia, nec loci mei bonore motus, nec veſtra auctoritate & praeſentia fractus, inſtinctu ſuo quietem fratrum turbans, proripuerit ſe cum plurimis, ducem ſe factionis & ſeditionis principem temerario furore conteſtans, in quo quidem gratulor plurimos fratres ab hac audacia receſſiſſe, & vobis acquieſcere maluiſſe, ut cum eccleſia matre remanerent, & ſtipendia eius Epiſcopo diſpenſante perciperent, quod quidem & ceteros pro certo ſcio cum pace facturos, & cito ab errore temerario receſſuros; interim cum Feliciſſimus comminatus ſit, non communicaturos in monte ſecum, qui nobis obtemperaſſent, id eſt, qui nobis communicarent, accipiat ſententiam, quam prior dixit, ut abſtentum ſe a nobis ſciat.* Poſteriori verbo: *Abſtentum* ſe eſſe a nobis, indicat CYPRIANVS, iamdudum amicitiam & commercium cum *Feliciſſimo* illo *Novati* ſectatore fuiſſe interruptum, licet communi omnium ſuffragio ex eccleſia nondum fuerit pulſus. Nulla quoque poſtrema verba: *non communicaturos in monte ſecum;* laborant naſſa, ſed exponunt, *Novatum*, *Feliciſſimumque* cum ſuis aſſeclis in montem abiiſſe, & ſe hac ratione ab eccleſia ſeparaſſe. Hic ſaltem ſcrupulus difficulter diſcutitur, utrum per montem intelligendus ſit elatior in ipſa urbe locus, qui, teſte STRABONE, BYRSA dictus eſt Carthagine, an vero fuerit urbs Carthagini vicina, nomine montis inſignita? Utraque ſententia teſte RIGALTIO s) fundamentis non deſtituitur, praeſertim, quum poſtea DONATISTAE ſive ab hac urbe, ſive a conventibus montanis, MONTENSES fuerint appellati. Sed revertamur. *Poſtremus* harum litterarum formatarum ordo noſtrum non attingit ſcopum. Sed de litteris *communicatoriis & commendatitiis*, quae alendae inter eccleſias & fideles unioni inprimis inſerviebant, in his pagellis agere conſtitutum eſt. Haud leve fuit, quod ex hoc litterarum genere ad promovendam confirmandamque eccleſiae unionem promanavit, emolumentum, quod nunc prolixius explicabimus.

§. XXII.

Si prioris generis litteras contemplamur *communicatorias*, ipſarum in epiſtolis Paullinis offendimus veſtigia. Eximium huius argumenti in Epiſtola ad Coloſſ. cap. IV. com. 15 et. 16. occurrit documentum, quod ita fluit: *Salutate Laodicenſes fratres & Nympban &*

r) vid. Cyprian. Epiſtol. XXXVIII. p. 75. edit. Norib. 1681.
s) vid. l. c. in Not. ad Cypr.

Digitized by Google

& quæ in eius domo eſt eccleſiam. Cumque lecta fuerit apud vos epiſtola, facite, ut etiam in Laodicenſium eccleſia legatur, itemque ut Laodicenſem epiſtolam vos quoque legatis. Cramben apponerem ſemel atque iterum recoctam, ſi falſam quorundam Romanenſium perſuaſionem, qua epiſtola ad Laodicenſes data fingitur, indeque a purpurato BELLARMINO t) ſcriptura ſacra novi foederis pro mutila & imperfecta reputatur, fuſius diluerem. Ingens propemodum theologorum numerus proſtat, qui hanc imaginariam & praepeditam Romanenſium infirmarunt opinionem, ex quibus B. BALDVINVM u), JOANNEM DALLAEVM x), BERNHARDVM ELSINGIVM y), RVDRAVFIVM z), & HERMANNVM WITSIVM a) adduxiſſe ſufficiet. Non magnae eſſet molis, huic inveteratae apud nonnullos Romanenſes ſententiae arietem movere. Sed devicta iamiam eſt haec inanis huius dicti interpretatio, ex ipſo PAVLLI ſtilo, ex quo apparet, ſcriptam eſſe epiſtolam ex urbe Laodicea, ἐκ λαοδικείας, & ad Paullum miſſam, de rebus agendis, quam ignorare Coloſſenſes noluit divus Paullus. Adoptavit THEODORETVS Cyrenſis hanc interpretationem ita ſcribens: *Quidam exiſtimarunt, ipſum etiam ſcripſiſſe ad Laodicenſes. Itaque fictam etiam epiſtolam praeferunt. Divus autem Apoſtolus non dixit eam, quae eſt ad Laodicenſes, ſed eam, quae eſt ex Laodicea. Illi enim de aliquibus ad eum ſcripſerunt. Veriſimile eſt autem, eos vel ea accuſaſſe, quae Coloſſis facta fuerant, vel eodem cum his morbo laboraſſe. Et ideo dixit, hanc quoque epiſtolam eis eſſe legendam* b). CAESAR BARONIVS c) Theodoreto fidem haud detrahit, hoc inprimis ſuffultus argumento: *Nullam huic tabellario datam eſſe ad Laodicenſes epiſtolam, inde pateſcit, quia haec epiſtola ad Coloſſenſes data, mittenda erat Laodicenis. Si vero ad Laodicenos ſcripſiſſet, opus non erat, Coloſſenſibus inculcare, ut hanc ad Laodicenſes mitterent epiſtolam.* THEODORETO annuit OECVMENIVS d), qui non legit πρὸς, ſed ἐκ λαοδικείας, adſerendo: οὐ τὴν ἀπὸ παύλου πρὸς λαοδικέας, ἀλλὰ τὴν

G ἀπὸ

t) vid. ei. Op. Tom. I. Lib. IV. Cap. IV. p. 113. u) vid. ej. Comm. ad h. Epiſt. p. 1113.
x) vid. Sermons upon the whole Epiſtle to the Coloſſians ad h. l. p. 170. Part. III. a Lond.
y) vid. ej. Pſeudepigraph. Paulli Apoſtoli, p. 7 ſeq.
z) vid. ej. Diſſert. de Epiſtola Paulli ad Laodicenſ. Edit. 1682.
a) vid. ej. Meletem. Leidenſ. Sect. XIV. de Script. Paulli ſuppoſitis p. 243.
b) vid. ej. Commentat. ad h. Coloſſ. loc p. m. 164.
c) vid. ej. Op. Tom. I. ad ann. Chriſti LX. Num. XIII. p. 656.
d) vid. ej. Op. Commentar. Tom. II. ad h. l. p. 146. Edit. Paris.

ἀπὸ λαοδικιέων πρὸς παῦλον: non eam, quae a Paullo ad Laodicenſes ſcripta ſit, ſed quae a Laodicenſibus ad Paullum. Quae lectio *ἐκ λαοδικείας* tanta ſe commendat veritatis ſpecie, ut illam plerique viri in re critica verſatiſſimi adoptarint, quos inter non infimi loci ſunt & ordinis JO. DALLAEVS e), GVILIELMVS WALLIVS f) & CHRISTOPH. CELLARIVS g), qui poſterior perapte urget verſionem Syriacam, quae voculam *ex* addidit. Prout hae duae urbes in Phrygia admodum vicinae, & ad Lycum amnem ſitae fuerunt; ita mutua epiſtolae lectio & *Coloſſenſibus* & *Laodicenis* tanto enixius erat commendanda. Pertexerem ulterius hoc argumentum, niſi haec opera ab inſtituto meo eſſet aliena, praeſertim, quum acrioris ingenii Romanenſes, quos inter eſt AVGVSTINVS CALMETVS, detritam hanc monachorum opinionem ad nauſeam usque confutatam, repulerint. Certe CALMETVS h) his illam reſpuit rationibus: *Laodicea proxima erat Coloſſis, & non abhorret a fide, Pſeudo-Apoſtolos, qui Coloſſis praedicaverant, & qui novum ſuae doctrinae fermentum ibi adſpergere conati fuerant, Laodiceae etiam praedicaſſe. Apoſtolus ne citra neceſſitatem epiſtolas multiplicet, praecipit, ut haec ipſa Laodicenis etiam inſerviat, qui in eisdem circumſtantiis eademque neceſſitate verſabantur.* Suffragium proinde nobis dat acutus CALMETVS, Senonenſium epiſcopus, & illam a MARCIONE agnitam epiſtolam *Laodicenam* cum THEODORETO, HIERONYMO, & aliis patribus, ſuppoſititiis & fictitiis annumerat ſcriptis i), quum a PAVLLI ſtilo & ingenii acie plane ſit diverſa, ſterilis, & ſine nervo, & nunquam pro genuina a primitivis Chriſtianis admiſſa. In aprico quoque eſt, hanc epiſtolam ex variis epiſtolis Paullinis eſſe conſarcinatam. Quid inde mirum, patres Nicaenos k) illam ſuo privaſſe ſuffragio, id quod ex antiquiſſimis documentis prolixius evictum dedit JOANNES ALBERTVS FACRICIVS l), qui hoc in argumento, ſi a B. JO. ANDR. SCHMIDIO m) receſſeris, omne fere fert punctum. §. XXIII.

e) vid. Sermons upon the whole Epiſtle to the Coloſſ. Serm. the Forty Sixth. ad h. l. p. 172.
f) vid. Critical Notes on the New Teſtament ad h. l. p. 295.
g) vid. ej. Diſſertat. Hiſtoric. & Geograph. de ſeptem eccleſiis Aſiæ in div. Apocalypſi memorat. §. XXXVII. p. 34. Edit. Hal. 1701.
h) vid. ej. Comment. Op. Tom. VIII. ad h. l. p. 432. Edit. Venet.
i) vid. l. c. p 433. k) vid. Labb. Concil. Tom. VII, p. 475.
l) vid. ej. Codic. Apocryph. N. T. p. 854. ſeq.
m) vid. ej. Pſeudo-Nov. Teſtament. de Pſeudo-Epiſtol. p. 96. ſeq.

Digitized by Google

§. XXIII.

Deficit, quod plerumque Romanenſibus maximo in pretio eſt, eccleſiae teſtimonium, quo haec epiſtola Paulli ad Laodicenos data, prorſus deſtituitur. Patres concilii Laodiceni, ſi fictitiam hanc, de qua diſceptatur, epiſtolam, calculo ſuffragioque ſuo adornaſſent, haberent forſitan Romanenſes aliquod ſententiae ſuae firmamentum, ſed laudati patres illam epiſtolam ex Paullinarum litterarum albo prorſus expunxerunt. n) Nulla ſane fingi producique poteſt ratio, ob quam Laodiceni proceres hanc Paulli epiſtolam, ſi firmus conſtansque fuiſſet, de illius auctoritate, conſenſus, in ſerie librorum canonicorum praeteriiſſent. Laudi Laodicenis haec ipſa Paulli epiſtola cedere poterat, praeſertim, quum totum epiſtolae argumentum Laodicenſium fidem & virtutem commendet. Male proinde egiſſent huius concilii ſeniores, ſi Laodicenſes hac privaſſent gloria. At meliora edocti hanc vanam & falſam gloriolam venari noluerunt. Caret proinde haec epiſtola & internis & externis teſtimoniis, quae in ſtabilienda & affirmanda librorum canonicorum auctoritate merito expoſcuntur, quod integro, eoque pervenuſto ſatis & ſolido, demonſtravit libello, & adverſus omnes, qui in libros Novi Teſtamenti moventur, inſultus cavillationesque, vindicavit JOANNES RICHARDSONIUS o), qui hoc in argumento confirmando haud inutilem ſuſcepit operam.

§. XXIV.

Quae quum certo ſtent talo, neque meo indigeant demonſtrationis ſubſidio; id ſaltem inde tuto colligitur, in moribus fuiſſe eccleſiae primitivae proceribus poſitum, litteras ab apoſtolis receptas ad alias transmittere eccleſias, ut de doctrina rebusque controverſis, ſed per apoſtolos deciſis, & aliis inſtitutis in eccleſia obſervandis redderentur certiores. Quot enim fuerunt quaeſo eccleſiae, quas, divus Paullus laeto evangelii nuntio plantavit, & quas ſua praeſentia illuſtravit, ad quas tamen nullas emiſit litteras! Quid? quod a vero non abludere videtur, neque COLOSSENSES neque LAODICENSES, ut ex Coloſſ. II. v. 1. colligitur, Paulli faciem vidiſſe, nec eius praeſentia eſſe exhilaratos. Ita enim ſcribit: *Volo enim vos ſcire, quantum certa-*

n) vid. Harduin. Acta Concil. Tom. I. p. 791.

o) vid. The Canon of the New Teſtament vindicated a Lond 1701. conf. JO. MILLII Hiſtor. Canon. N. T. in Prolegom. N. Teſt. Graec. ſedulo tradita, & poſtea a CHRISTOPH. LANGHANSIO Theologo Regiomontano nonnullis Diſſertationibus non male illuſtrata & adaucta. 1737.

Digitized by Google

certamen habeam pro vobis, & iis, qui in Laodicea, & quotquot non viderunt faciem meam in carne. Regeri poſſet dubiolum: Laodicenſes forte poſtea Paullum vidiſſe in carne, quum manuſcriptum Alexandrinum in ſubſcriptione prioris epiſtolae ad Timotheum Romae datae legat ἀπὸ λαοδικείας, & Verſiones Aethiopica & Coptica ἀπὸ λαοδικείας διὰ Ὀνησίμου, ut MILLIVS obſervat p). Plana quoque eſt ſubſcriptio prioris epiſtolae ad Timotheum datae, quae ita ſeſe habet: πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς πακατιανῆς. Sed leve eſt argumentum hoc a ſubſcriptione petitum, quum epiſtolarum ſubſcriptiones viris acrioris ingenii iure recentioris videantur eſſe aetatis. Si indubitata fide huius epiſtolae calci foret adhaerendum, & lis omnis ex illa decidenda, vereor, ne huic epiſtolae, quod olim HOMERO, de cuius natalibus Graeciae decertarunt urbes, quarum quaevis hunc poetarum anteſignanum ſibi vindicavit, accidit, uſu quoque eveniat, quia, teſte MILLIO q), ARABS ERPENIANVS *Athenis*, & alii codices ἐκ Μακεδονίας legunt. Cum ſale iudicaſſe mihi videtur LVDOVICVS CAPPELLVS r) in hoc argumento admodum perplexo, quando adſerit, ſubſcriptionem prioris ad Timotheum epiſtolae Laodiceae Phrygiae datae, prorſus eſſe falſam, quia Coloſſ. II. v. 1. & tota apoſtolica hiſtoria ſatis luculenter confirmat, Paullum illo, quo hanc concinnavit tempore epiſtolam, Laodiceam nondum vidiſſe, quin immo huic inſigni critico haud levis eſt dubitatio, an Paullus hanc urbem unquam appulerit. Mavult Arabis lectionem, quae *Athenis* habet, ſeligere. O ſi nunc adeſſet Palaemon, qui omnia componeret diſſidia! Duae inprimis ſunt diſſidentium partes, quarum altera conſtanter inſiſtit verbis ſupra excitatis ad Coloſſ. II. 1. ex quibus apparet, Paullum Coloſſenſes & Laodicenſes ſua praeſentia non ſalutaſſe, altera contendit, Paullum procul dubio poſt conſcriptam hanc ad Coloſſenſes epiſtolam has illuſtriſſimas in Phrygia urbes adiiſſe. Mea, ſi quid valet, ſententia, diſſentientium rationes facile, & ita quidem, conciliari poſſunt, ut nihilominus ſalva, de ſuppoſititia ad Laodicenſes epiſtola, maneat perſuaſio. Stat ſententia: Coloſſenſes & Laodicenſes, quod legimus in epiſtola ad Coloſſ. II. 1. non vidiſſe Paulli faciem, nec ex ipſius ſcholis prodiiſſe. Paullus ipſe huic gloriae non inhiat,

p) vid. ej. Nov. Teſt. ad h. l. p. 504.
q) vid. cit. N. T. ad h. l. p. 496.
r) vid. ej. Hiſtor. Apoſtolic. Appendic. de Ordine epiſtol. Paul. p. 75.

Digitized by Google

inhiat, ſed aperte profitetur, illam Epaphrae eſſe relictam. En verba ipſa: cap. I. com. 7. 8. *Καθὼς καὶ ἐμάθετε ἀπὸ Ἐπαφρᾶ τοῦ ἀγαπητοῦ συνδούλου ἡμῶν, ὅς ἐστι πιστὸς ὑπὲρ ὑμῶν διάκονος τοῦ χριστοῦ, ὁ καὶ δηλώσας ἡμῖν τὴν ὑμῶν ἀγάπην ἐν πνεύματι.* *Sicut didiciſtis ab Epaphra, dilecto conſervo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti. Qui etiam declaravit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu.* EPAPHRAS Coloſſenſis, aut ſaltem Phryx, ubi puriorem de Deo a Paullo hauſerat doctrinam, ſuis concivibus & ſociis annunciavit evangelium, & ipſis non ſolum auctor ſuaſorque fuit ad recipiendam Chriſtianam fidem, ſed & doctor & apoſtolus extitit, quod ex cap. IV. huius epiſtolae eiusque commatibus 11. 12. quae ita fluunt, apparet: *Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἐπαφρᾶς, ὁ ἐξ ὑμῶν δοῦλος Χριστοῦ πάντοτε ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ ὑμῶν ἐν ταῖς προσευχαῖς, ἵνα στῆτε τέλειοι καὶ πεπληρωμένοι ἐν παντὶ θελήματι τοῦ Θεοῦ. Μαρτυρῶ γὰρ αὐτῷ, ὅτι ἔχει ζῆλον πολὺν ὑπὲρ ὑμῶν, καὶ τῶν ἐν λαοδικείᾳ καὶ τῶν ἐν ἱεραπόλει.* *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis ſervus Chriſti ſemper decertans pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Teſtor enim illi, quod habet zelum multum pro vobis & iis, qui Laodiceae & qui Hierapoli.* Temperamus nobis a tam curioſa rerum abſtruſarum inveſtigatione, neque haec ſalebroſa rimari intendimus, qua conditione hic EPAPHRAS in eccleſiis Coloſſenſium & Laodicenſium ſit functus. Id nobis ſufficit, hunc aſſiduum Paulli ſocium, ubi fidem Chriſtianam procul dubio a Paullo, qui in Phrygia haud ſemel fuerat, didicit, illam ſuis conterraneis fideliter propinaſſe. Inde addit apoſtolus, *Ἐπαφρᾶς, ὁ ἐξ ὑμῶν*, EPAPHRAS, *qui ex vobis.* Magnificentius autem, quam verius, ſentiunt BARONIVS, ADO, PETRVS EQVILINVS, & SCIPIO GENTILIS, qui EPAPHRAM, ſi res apud ſolos illos ſtaret, Coloſſenſium epiſcopum a Paullo conſtitutum eſſe mallent. Nos media incedimus via, & EPAPHRAM inſignem harum eccleſiarum conditorem, doctoremque, neutiquam vero Epiſcopum fuiſſe, firmiter ſtatuimus s).

§. XXV.

Pereximius igitur Paulli conſervus & Jeſu Chriſti miniſter EPAPHRAS, quod luce non indiget, primus fuit, qui doctrinam de Chriſto Coloſſenſibus & Laodicenis, qui citato verſu 13 coniungun-

 tur,

s) vid. ſis Cl. Jo. David Strobachii Diſſ. de Epaphra Coloſſenſi §. VIII. p. 15. ſeq. Lipſ. 1710.

Digitized by Google

tur, annunciavit, inde ipſorum Apoſtolus merito eſt appellandus. Planum nunc eſt, Paullum eo tempore, quo in Phrygiae terminis & locis finitimis eſt verſatus, neque Coloſſenſes neque Laodicenſes adiiſſe, & fidem Chriſtianam inter illos propagaſſe, quia forte de ipſorum acceſſu ad Chriſtianorum familiam fuit certior factus, aut aliis negotiis retentus, quo minus ad has urbes proficiſceretur, quod ſilentio in actis Apoſtolorum non praeteriiſſet Lucas. At ſi a capite usque ad calcem perlegeris Apoſtolorum acta, altum eſt de Paulli geſtis apud Coloſſenſes & Laodicenſes ſilentium. Hactenus bene. Ita nulla vis verbis infertur Paullinis, nullumque inde elicitur argumentum, quod cauſſae noſtrae noceat. Illuſtriorum commentatorum, quos inter ſunt LEVSDENIVS t) & CALMETVS u), habemus ſuffragia. Firmum ratumque eſt, COLOSSENSES & LAODICENSES, Paulli faciem eo tempore non vidiſſe, neque ab ipſo ad fidem fuiſſe converſos. Diſquiritur autem, cur Paullus ad Coloſſenſes, qui ipſum non viderant, ſcripſerit? In promtu cauſſa eſt: ſcripſerant nimirum Coloſſenſes & Laodicenſes ad Paullum. Ubi enim EPAPHRAS Romam ſe contulit, & cum Paullo in vincula fuit coniectus, diripiebant falſi doctores has eccleſias, & virus ſuum ipſis apponebant. Ne itaque in rebus tam ambiguis & fluctuoſis titubarent LAODICENI & COLOSSENSES, doctore ſuo EPAPHRA orbati, litteras ad Paullum miſerunt, rerumque perplexarum deſiderarunt enodationem, cuius in hac epiſtola ad Coloſſenſes data, facti ſunt participes. Summam quoque habet veritatis ſpeciem, Paullum hanc provinciam, ſuaſu precibusque EPAPHRAE, lubenter in ſe ſuſcepiſſe, ut laudatos cives in veritate fidei, quam ab EPAPHRA acceperant, ſolide confirmaret, & EPAPHRAE cauſſam ſtrenue ageret. Inde plus una vice mentionem facit EPAPHRAE, eiusque fidem & aſſiduum in Coloſſenſes & Laodicenos commendat ſtudium.

§. XXVI.

Putaverim, me multum opis lucisque huic concertationi eſſe allaturum, ſi paucis rei tunc temporis in eccleſiis & Coloſſenſium & Laodicenorum controverſae enodavero caput. Statum vero eccleſiarum ab apoſtolis conditarum penitius conſideraturi, unum in *externam*, alterum autem oculum in *internam* eccleſiae cuiusvis conditionem

t) vid. ej. Philolog. Hebr. Græc. Diſſertat. XXII. Sect. I. p. 178.
u) vid. ej. Commentar. Op. Tom. VIII. ad Cap. I. Epiſtol. ad Coloſſ. p. 416.

Digitized by Google

tionem coniicere debent, recte admonente JO. FRANCISCO BVDDEO x). Attenta mente ſi hanc, quam ad Coloſſenſes emiſit Paullus epiſtolam, contemplaris, primo deprehendes obtutu, id agere apoſtolum, ut Coloſſenſibus haud levem eximat ſcrupulum, quem ipſis deſidioſi & pernicioſi in vinea domini iniecerant operarii. Ambigunt commentatores, quinam illi fuerint doctores, qui Coloſſenſium Laodicenorumque turbarunt eccleſias. JO. BRAVNIVS y) Judaeos determinat, HENRICVS autem HAMMONDVS z), qui in omnibus ſcripturae ſacrae novi foederis locis praepedito animo Gnoſticos venatus eſt, hos ipſos, quos dixi, Gnoſticos intelligit. Vero tamen ſimilior mihi videtur illorum ſententia, qui doctores, gente Judaeos, ſed Platonicorum ſomniis figmentisque praeoccupatos indigitant. Res ex capite ſecundo eſt ſatis plana. Proinde non dubitavi, quin ALEXANDRO MORO a), JO. DALLAEO b), S. V. Abbati MOSHEIMIO, c) & S. V. JO. GEORGIO WALCHIO d), ſubſcriberem, e) & denuó ipſis ſuffragarer. Res nunc in tuto eſt. Unus idemque & Coloſſenſes & Laodicenſes male divexabat ſcrupulus, qui a Paullo erat diſpellendus, cui deſiderio in hac epiſtola propenſe annuit. Sed non opus erat, ut in dubio ab utraque eccleſia propoſito, litteras ſuas duplicaret, quia una epiſtola hoc in argumento theologico apoſtoli inſtituto ſufficere poterat. Corroborat meam ſententiam conſuetudo, uſusque, quem in ſuis epiſtolis obſervaſſe video Paullum. Ubi enim animum ad ſcribendum appulit, eam ſibi metam habuit in concinnandis litteris praefixam, ut illa ſemper ſtilo perſequeretur, & nervoſe exaſciaret argumenta, quae in illa, ad quam ſcribebat, eccleſia potiſſimum erant controverſa, dubia, & a falſis doctoribus ad concertationem propoſita. Me nihil fingere, ex omnibus Paulli epiſtolis eorumque argumentis, ſi illa attentius percontaris, facile offendes. Diverſitas enim argumentorum, quae

x) vid. ej. Diſſertat. Theologic. de ſtatu Eccleſiar. Apoſtolic. §. III. p. 218. Miſcellan. S. Part. II.

y) vid. ej. Select. Sacr. Cap. VIII. p. 93.

z) vid. ej. Annotat. in Epiſtol. ad Coloſſ. ad h. l. p. 231.

a) vid. ej. Not. ad loca N. T. ad Coloſſ. II. p. 177.

b) vid. ej. Sermons cit. ad h. l. p. 287.

c) vid. ej. Eccleſ. per Platonic. turbat. §. XLVII. p. 43.

d) vid. ej. Obſervat. Sacr. in N. F. Libr. Part. I. Obſerv. XIV. ad Coloſſ. II. v. 8. de philoſophia Chriſtian. hominib. nocitura p. 99.

e) vid. Exercitat. Anti-Trombell., Tom. I. Part. I. Exercitat. IV. p. 369.

Digitized by Google

quae in quavis epiſtola pertractat Paullus, quaeſtionesque diſcuſſae, me de veritate huius rei dubitare non patiuntur. Ex his, quas adduxi, rationibus, nunc tutus colligo, opinionem meam extra dubitationem eſſe poſitam, epiſtolam ad Coloſſenſis & Laodicenae eccleſiae uſum eſſe emiſſam, quia in cap. II. v. 1. coniunguntur, & in fine capitis IV. 15. 16. denuo Laodicenorum nomina adferuntur. Sed quid fiet, dixeris, de Paulli ſalutatione, quam alii Coloſſenſibus & Laodicenis non denegant?

§. XXVII.

Audiatur nunc altera pars: quidni, regerent alii, viderit Paullus deinceps poſt prima Romae vincula Coloſſenſes & Laodicenſes? promiſerat enim Paullus Hebr. XIII. 23. ſe Hebraeos eſſe viſurum. Facile id concedere poſſumus, Paullum, ubi in libertatem erat vindicatus, complures ſalutaſſe eccleſias, uti Philippenſibus cap. I. v. 25. pollicetur. Illis propterea litem non moveo, qui arbitrantur, Paullum in longo anfractu itineris, quod poſt vincula prima ſuſceperat, ſua praeſentia exhilaraſſe Coloſſenſes & Laodicenos; nullum tamen inde ad confirmandam epiſtolae Laodicenae auctoritatem profluit argumentum. Ingens enim inde emergeret epiſtolarum Paullinarum numerus, ſi omnes, quas vel condidit, vel ſalutavit, eccleſias hoc mactaſſet apoſtolus honore. Ne tamen aliae eccleſiae his Paullinis, quae fidem iamiam traditam ulterius confirmabant, & lites in eccleſia a falſis apoſtolis motas componebant, defraudarentur epiſtolis, ipſisque in doctrina chriſtiana proficiendi adimeretur occaſio, dubium eſt nullum, quin epiſtolae Paulli ad certas eccleſias datae, aliis quoque ad confirmandam & propagandam fidem ſint transmiſſae. Perdifficile enim fuit, Chriſtianis vix primis quandoque doctrinae chriſtianae rudimentis imbutis, qui lac ceu infantes deſiderabant, Hebr. V. 12 ſe adverſus falſorum apoſtolorum ſuſurrationes, impoſturas, ſiniſtras ſcripturae ſacrae interpretationes, & in ſuos doctores opinationes frivole effuſas, tueri, quod Galatis accidit, ut in epiſtola ad Galatas cap. III. & IV. legimus relatum. Quo igitur fidelium ſublevaretur ignorantia, & ſyrmata a falſis apoſtolis ipſis propoſita diſſecarentur, ſumma ſuaſit neceſſitas, has apoſtolorum litteras cum aliis communicare eccleſiis, ut unam fidei rituumque obſervarent rationem, & dulce unionis alerent commercium. Inde in I. epiſt. ad Theſſal. cap. V. com. 27. maximo cum pondere haec addit Paullus:

Obte-

Digitized by Google

Obteſtor vos per Dominum, ut haec legatur epiſtola ab omnibus ſanctis fratribus. Recte proinde ad effatum Paulli in epiſtola ad Coloſſenſes emiſſum monet laudatus DALLAEVS, illud eſſe caritatis & communionis teſtimonium longe certiſſimum f). Rem iudicio in rebus eccleſiaſticis acutiſſimo confirmat S.V. CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS, g) qui ex mutuo litterarum commercio primitivae eccleſiae communionem excellenter illuſtrat.

§. XXVIII.

Novum harum communicatoriarum litterarum deprehendo in II. epiſtola Petri cap. III. com. 16. argumentum. En verba Petri: *In omnibus cariſſimus frater Paullus epiſtolis de biſce rebus loquitur, in quibus inſunt obſcura quaedam.* Quaecunque demum intelligantur divi Paulli epiſtolae, planum eſt, de pluribus Petro eſſe ſermonem. Eſto: Petrum inprimis reſpexiſſe epiſtolam Paulli ad Ebraeos, poſt prima ſtatim vincula Romae datam, non tamen reliquae litterae Paulli, quae variis griphis videntur obnoxiae, excluduntur, quia de omnibus ſcribit Petrus epiſtolis. Perapte proinde iudicat CALMETVS: *Hoc ſignificat, St. Paulli epiſtolas iam tum fuiſſe in eccleſia celeberrimas.* h) Volitarunt omnes per eccleſias hae Paulli epiſtolae; ut omnes in doctrina Chriſtiana confirmarentur. Nec ſola epiſtola ad Ebraeos intelligi poteſt, licet illa in ſerie omnium epiſtolarum Paullinarum, praeter poſteriorem epiſtolam ad Timotheum, ex iudicio JOANNIS LEVSDENI i), ultimum occupet locum; meminit enim Petrus omnium epiſtolarum. Potuit haec epiſtola ad Ebraeos emiſſa ad Petri, qui inprimis in Judaea & finitimis diu haeſit locis, pervenire lectionem. At nullus nobis reſidet ſcrupulus, quin reliquas Paulli litteras antea emiſſas quoque legerit Petrus, quod utraque huius Apoſtoli epiſtola haud obſcure exprimit. Aſt hic pedem figo, quum haec ſacri codicis oracula nullo alio adduxerim fine & ſcopo, quam ut demonſtrarem, harum litterarum communicatoriarum uſum antiquiſſima Apoſtolorum redolere tempora.

f) vid. l. c. p. 170.
g) vid. Libr. de orig. jur Eccleſ. Art. II. Not. III. p. 81.
h) vid. ej. Comment. Op. Tom. VIII. ad h. l. p. 751.
i) vid. ejuſd. Philolog. Hebr. græc. Diſſertat. XXIV. p. 198.

Digitized by Google

§. XXIX.

His itaque litteris legatorum Ieſu communicatoriis uſa, maximis in omnibus terrarum oris terminisque adaucta eſt acceſſionibus eccleſia, quam appellare amamus a ſuo conditore, chriſtiana. Et viva voce & litteris a Spiritu ſancto traditis religio erat propaganda, quam provinciam ſuae veritatis praeconibus inculcaverat Chriſtus his verbis: πορευθέντες ὖν μαθητέυσατε πάντα τὰ ἔθνη, Matth. XXVIII. 19. Si enim ſola voce fidei tradenda Apoſtolis fuiſſent capita, dubitatio eſt nulla, quin purioris doctrinae forma ab Apoſtolis evulgata ſat cito evanuerit. Multae obſtant cauſſae, quo minus Apoſtoli omnes terrarum plagas peragrare, & doctrinam de Chriſto undique diſſeminare potuerint. Perexiguus duodecim Apoſtolorum, qui a ſuo magiſtro hanc receperant docendi copiam, numerus toti, quæ patet, orbi non ſufficere poterat. Praeter varia migrationum in remotisſimas provincias ſuſcipiendarum impedimenta obſtat anguſtus vitae terminus, qui tam arduo, cui vix Neſtorei ſufficerent anni, negotio poſuit limites. Porro, ſi Apoſtolorum in ſubſidium vocaveris ſucceſſores, qui generali ad docendum inſtructi ſunt mandato, concedes, illos Apoſtolis longe inferiores eſſe, niſi omnes divina revelatione gaviſos eſſe, dixeris. En quantus inde emergeret virorum divina inſpiratione praeditorum numerus! Inſurgerent noſtrae aetatis apoſtoli a Deo non miſſi, ſed ſua ſponte currentes, ſuamque iactitarent vocationem, nobisque obtruderent ſui ingenii monſtra longe foedisſima. Praeter igitur, quam quod inſpirationis donum ad noſtra usque durare debuiſſet tempora, dubia omnia, vaga, & lubrica hac ſola orali traditione relicta fuiſſent fidei capita, neque ulla certa doctrinae chriſtianae unquam extitiſſet norma. Sola porro traditio oretenus ad poſteritatem propaganda, neque ſatis puram, neque claram effeciſſet rerum credendarum agendarumque formam. Homines quidem antediluviani, & Abrahami poſteri ad Moſis usque tempora lege caruerunt litteris conſignata; & orali tantum traditione a Patriarchis accepta, & privatos inter parietes repetita, ſunt gaviſi. At perpendas, velim, exiguam hoc primo temporis tractu fuiſſe piorum familiam, & largiorem deinceps propaginem nactam, unam tantum conſtituiſſe Hebraeorum gentem. Facilis itaque fuit, veritates divinas in hac Abrahami familia multis deinceps incrementis adaucta conſervandi, modus, quia patriarchae longævam ſatis conſecuti ſunt

Digitized by Google

ſunt aetatem, & ipſe cultus purior intra hos anguſtos ſeſe continuit terminos. At Novi Foederis aetate amplior illuſtriorque rerum divinarum cognitio erat expectanda, quae ſe ad Garamantes usque extendere debebat. Nemo non pia devotaque mente tam celerem, citamque eccleſiae chriſtianae propagationem per Apoſtolos factam admiratur, & ex tam auſpicato feliciqne doctrinae chriſtianae proventu, & ſuaviſſimo omnium Apoſtolorum concentu, religionis noſtrae colligit veritatem & divinitatem, quam ex hoc fonte adverſus ſuae aetatis empaectas & religionis deriſores aeque dextre ac ſolide demonſtrarunt JO. LENGIVS k), DANIEL WHITBYVS l), FRANCISC. GASTRELLVS m) & Dom. de la MOTHEVS n), viri in Anglia & Gallia acutiſſimi. Tam citam vero religionis chriſtianae propaginem inprimis iuverunt epiſtolae ab Apoſtolis emiſſae, longe lateque in extremas terrarum oras delatae. Inde traditio oralis Apoſtolorum huic inſtituto neutiquam ſufficere poterat. Fallax enim & lubricum eſt hoc religionem propagandi medium. Teſtes habeo recutitorum Judaeorum traditiones, quae in tam immenſum, rude indigeſtumque accreverunt chaos, ut Apellae his ineptiis ineſcati has ſcorias pro auro aeſtiment. Maxima fidei capita facile ex oblivione hominum intercidere, vel ex infrunitorum malitia perire poterant. Nunquam defuisſent tenebriones, Satanaeque alumni, qui & minuendo & augendo adeo corrupiſſent ſanorum verborum formam, ut vix veri remanſiſſet ſpecies. Accedunt concatenata hominum ſibi ſuccedentium viciſſitudo, ex brevitate vitae humanae oriens, coeca hominum pectora, ignorantia, & ſegnities, quae haud levem inieciſſent remoram, ſi religio chriſtiana ſola praedicatione ab Apoſtolis facta, fuiſſet poſteritati tradenda. Revelatio de rebus fidei Apoſtolis facta litteris erat conſignanda, & ad poſteros propaganda, quo religionis chriſtianae extaret fundamentum, & omnibus numeris abſolutum, & Marpeſia caute firmius. Poſtquam igitur Jeſu legati, ex mandato

H 2 divino,

k) vid. Natural. Obligations to Believe the Principles of Religion and divine Revelation Sermon. XV. §. I. p. 449. Edit. Lond. 1719.

l) vid. Diſcourſe of the Neceſſity of the Chriſtian Revelation Chap. X. §. 11. infer. 2dly p. 325. a Lond. 1705.

m) vid. cj. verit. Certitud. & Neceſſit. Relig. Chriſt. Part. II. Gener. Part. I. Cap. IV. p. m. 54. ſeq.

n) vid. Traité de l' Inſpiration des Livres Sacrez. Chap. X. p. 218.

divino, & revelatione immediata de fidei fundamento erant certi, opus fuit, ut hanc domini mentem litteris traderent, & palam omnibus legendam inculcarent, in mentem ipſis revocantes, & Scripturae ſacrae divinitatem, & rerum credendarum normam, quam urgent Jeſu Apoſtoli. Rom. I. v. 16. 1 Corinth. III. v. 10. 11. Epheſ. II. v. 20. 21. 2. Tim. III. 15. 16. 2. Petr. I. 19. 20. Quae quum ſint omni dubitatione certiora, exponenda nunc eſt ratio, qua primitivi Chriſtiani has Apoſtolorum litteras tractarint, ſibimetipſis communicarint, & familiares reddiderint.

§. XXX.

Litterae Apoſtolorum ſacrae neque uno aevo, neque uno temporis tractu ſunt emiſſae, neque denique in univerſam eccleſiam omnes primum ſunt evulgatae. Extant epiſtolae ad particulares, quas condiderant Apoſtoli, eccleſias exaratae, quales ſunt Paulli epiſtolae ad Romanos, Corinthios, Epheſios, Galatas, Coloſſenſes, Philippenſes, Theſſalonicenſes, & ad Timotheum conſcriptae. Proſtant quoque epiſtolae catholicae, quae ad nullam particularem eccleſiam, ſed ad omnes, quo demum vixerint loco, fideles ſunt datae, quorſum utramque Petri epiſtolam, item Iacobi, Ioannis & Iudae retuleris litteras, in quarum fronte titulus catholicarum legitur, hoc procul dubio additus nomine, quia ſine diſcrimine ad omnes eccleſiae ſocios ſunt ſcriptae. Porro non una temporis aetate Apoſtolorum epiſtolae omnes adierunt eccleſias, ſed recentiori quandoque aevo particularium eccleſiarum ſacros occuparunt ambones; inde factum eſſe crediderim, ut nonnullae Apoſtolorum epiſtolae, illis, quae easdem per ſaeculum, & quod excurrit, non legerant, eccleſiis ſubleſtae viſae fuerint fidei, quod, ut de aliis taceam, poſteriori accidiſſe videtur Petri epiſtolae, ut EVSEBIVS o) tradit. Dic, amabo, qua fieri potuerit ratione, ut epiſtolae Ioannis, Petri & Paulli, ad Aſiae eccleſias conſcriptae, uno quaſi volatu vrediſque uſae, reliquas orbis partes attingere potuerint? Paucitas exemplarium, nec non imae, quibus totus fere orbis ſubmerſus fuit, tenebrae & ſuperſtitiones, foecundum rerum ſacrarum proventum, reddiderunt perdifficilem. Soli accenderet is lucem, ridiculo ſane inſtituto, qui adfirmaret, *Germaniae*, *Angliae*, *Daniae*, *Scandinaviae*, *Ruſſiae*, *Poloniae*, aliisque terrarum tractibus primis ſtatim ſaeculis Apoſto-

o) vid. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. III. Cap. III. p. 28. Edit. Valeſ.

Digitized by Google

Apoſtolorum epiſtolas innotuiſſe, & ad notitiam horum incolarum perveniſſe, quum planum ſit, has omnes regiones luce divina ſerius eſſe colluſtratas. Curatius rerum in eccleſia geſtarum monumenta conſiderans, non uno adducor argumento, ut credam, plurimas terrarum partes diu his rerum ſacrarum documentis, litteris inquam Apoſtolorum, caruiſſe, donec ſaeculis ſequioribus, prout divinae placuit providentiae, occidentalis terrae inquilini ſenſim paullatimque, excuſſa Gentilium ſuperſtitione, chriſtianae civitati ſeſe addixerint. Interim, ne purioris doctrinae decoqueretur, ſed magis magisque fidelium animis imprimeretur notitia, bene ac ſapienter inſtituerunt eccleſiarum coetuumque ſacrorum, apud quos Chriſti viguit cultus, praeſules, ut in conventibus publicis ſtatis Chriſtianorum diebus celebrandis penſum aliquod ex utriusque Teſtamenti codice a lectore publico recitaretur, quod deinceps coetus magiſter ſeu praeſes ſuis, pro more iſtorum temporum, adauxit commentationibus, & enucleavit, quo rudiores illud in ſanguinem convertere poſſent & ſuccum. Praelectae proinde ſunt in ſacris Chriſtianorum locis, illae epiſtolae & evangelia, quorum exemplaria habuerunt. Non enim totum Novi Teſtamenti corpus ſtatim extitit, ſed ex iudicio JOANNIS MILLII p) canon evangelicus circa annum XCIX. aut C. & canon epiſtolicus circa annum CX. demum eſt evulgatus. Uſae ſunt itaque eccleſiae iis ſcriptis, quae eo tempore poſſederunt. Huius inſtituti rationem duumviri, JVSTINVS MARTYR, & TERTVLLIANVS, non ſequioris aetatis patres, nobis exponunt. Attuliſſe iuvabit illorum documenta. Ita vero JVSTINVS MARTYR q) ad ANTONINVM PIVM imperatorem ſcribit: *Die, qui ſolis dicitur, omnes, qui in agris, vel urbibus morantur, unum in locum conveniunt, & commentaria Apoſtolorum & Prophetarum ſcripta, quoad tempus fert, leguntur. Deinde ubi is, qui legit, deſtitit, is, qui praeeſt, admonet & hortatur, ut ea, quae lecta ſunt, bona imitemur.* Addere ſtatim placet TERTVLLIANI teſtimonium, quod huius eſt tenoris: *Cogimur*, inquit, *ad litterarum divinarum com-*

 memo-

p) vid. ej. Prolegom. in Nov. Teſtament. Græc. §. 193. & 195. p. 23.
q) vid. ej. Apolog. II. p. m. 98.

memorationem, ſi quid praeſentium temporum qualitas aut praemonere cogit, aut recognoſcere; certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus denſamus; ibidem etiam exhortationes & cenſura divina r). Addiſcimus ex his JVSTINI MARTYRIS, & TERTVLLIANI teſtimoniis, rationes, quibus primitivi Chriſtiani commoti publicos eosque ſacros celebrarunt conventus. Nullum enim ad fidem chriſtianam & adſervandam, & diſſeminandam, medium hoc ipſo inſtituto fuit aptius. Delibavit horum conventuum a primaevis Chriſtianis inſtitutorum ſacrorum cauſas omni ex parte illuſtris JVST HENNING. BOEHMERVS s); qui rem ita enucleat: *Ob duplicem*, inquit, *cauſam Chriſtiani primitivae eccleſiae congregationes inſtituerunt. I. ut absque ulla intermiſſione ſe ipſos erigerent, non ignari, quam corrupti eſſent intimi animi receſſus, quibus ſi non perpetuum bellum per vigilantiam perpetuam indiceretur, facile internus mentis cultus corrumpi prorſus poſſet. II. ut quos Spiritus Chriſti coniunxiſſet in unione interna, hi quoque externa unione ad eum colendum ſe coniungerent: naturale quippe eſt, ut unio mentis inducat unionem externam, quippe ex qua omnes ſocietates, amicitiae, & collegia oriuntur.* Quod primitivae eccleſiae inſtitutum preſſo pede ſecuti ſunt recentioris eccleſiae patres, quorum ſuffragia de hoc argumento ſatis larga collegit BERNHARDINVS FERRARIVS t), Mediolanenſis Theologus, ad quem fontem ſi quis ſitiat, illum ablego, unde ſitim abunde expleat. Ratio, ob quam primitivi Chriſtiani ſacrae ſcripturae lectionem tanto ſtudio omnibus, quotquot Chriſtianorum nomine gaudebant, commendarunt, haec ſane eſt, quod illam pro unico fundamento & cognoſcendi principio pariter ac norma religionem chriſtianam diiudicandi agnoverunt. Quo longius autem ab hoc fonte & veritatis cognoſcendae medio retroceſſerunt ſequioris aetatis Chriſtiani, eo

r) vid. ej. Apologetic. Cap. XXXIX. p. m. 709.

s) vid. ej. Diſſertat. Prælimin. ad Jus Eccleſiaſt. Proteſt. de ſuprema lege Eccleſiaſtica §. VI. p. 5. Tom. I.

t) vid. de Ritu Sacr. Eccleſ. Vet. Concion. Lib. I. Cap. XV. & XVI. p. 66.

Digitized by Google

eo maiora cepit barbaries, infelix illud lolium, incrementa, & eo velocius veritas apoſtolica ex eccleſia Romana emigravit, quod perapte docuit B. JO. GVIL. JANVS u). Obſervavit iamiam ſua, quam ornavit, CAROLVS M. aetate hunc naevum in Clericis obvium. Inde in epiſtola ad BAVGOLPHVM, Abbatem Fuldenſem, ob neglectam Scripturae ſacrae lectionem ita ſcribit, teſte HERMANNO CONRINGIO x): *Vnde factum eſt, ut timere inciperemus, ne forte, ſicut minor erat in ſcribendo prudentia, ita quoque & multo minor eſſet, quam recte eſſe debuiſſet, in ſanctarum Scripturarum ad intelligendum ſapientia. Et bene novimus omnes, quia, quamvis periculoſi ſint errores verborum, multo periculoſiores ſunt errores ſenſuum. Quam ob rem hortamur vos litterarum ſtudia non ſolum non negligere, verum etiam humillima & Deo placita intentione ad hoc certatim diſcere, ut facilius & rectius divinarum Scripturarum myſteria valeatis penetrare.* His itaque ex fontibus primitivi chriſtiani doctrinam hauſerunt, & fidem arcanis Chriſtianorum nondum innutritis ſenſim propinarunt. Num vero ex ſententia RVDOLPHI de RIVO y) Decani *Tungrenſis*, qui WALAFRIDI STRABONIS & BERNONIS, Abbatis *Augienſis*, ſuffragia explicare ſatagit, epiſtolae Paullinae prae reliquorum Apoſtolorum litteris in conventibus publicis ſingulari in aeſtimio fuerint habitae, eo nomine, *quia ex Saulis*, hoc eſt, *Paulli converſione & promotione de Dei miſericordia plene certificamur*, non eruo. Id tamen inficiari nolim, maximum omnino a primis eccleſiae chriſtianae ſaeculis his Paullinis epiſtolis ſtatutum eſſe pretium ob ſingularia, quibus adornatus fuit hic illuſtris Jeſu legatus, animi & revelationis divinae dona.

§. XXXI.

u) vid. Diſſert. Theolog. de barbarie medii ævi in contemtu Scripturæ Sacræ conſpicua §. IX Witteb. Edit. 1721.

x) vid. ej. Antiquitat. Academic. Supplemento XXXV. p. 297. Edit. Goetting.

y) vid. Bibl. M. P. P. Tom. XXVI. Rudolphi de Rivo Lib. de Canon. obſervant. Propoſ. VIII. p. 294. Edit. Lugdun.

Digitized by Google

§. XXXI.

Silentio haud praeterire debeo, ſaeculis primis, antequam novi Foederis libri collecti, uno exhiberentur corpore, virorum Apoſtolicorum & aliorum illuſtrium doctorum litteras, quas merito appellaveris communicatorias, in corona publica eſſe recitatas, ut fideles, quod ipſis ex uſu eſſet, inde caperent. Apoſtolorum enim veſtigia in emittendis litteris communicatoriis ſecuti ſunt preſſo pede eccleſiarum proceres, qui omnem adhibuerunt operam, ut hanc arctiſſimam inter eccleſias conſervarent coniunctionem. Non eam quidem ſibi arrogarunt auctoritatem particularis eccleſiae praeſules & ſeniores, ut novam aliquam doctrinae traderent formam, memores exſecrationis Paul'inae: *Verum etiam ſi nos aut angelus e coelo vos diverſum doceat ab eo, quod nos docuimus evangelium, eſto deteſtabilis.* Gal. I. 8. illam tamen provinciam ſibimetipſis datam eſſe crediderunt, ut fidem ab Apoſtolis receptam ulterius diſſeminarent, & rem, quae eccleſiae ipſis concreditae acciderat, notatu dignam, aliis eccleſiis deferrent, ne illae rerum bene aut ſecus in eccleſia Chriſtiana geſtarum eſſent expertes. Si proſpera & halcyonia Deus particulari conceſſit eccleſiae, habuerunt reliquae eccleſiae laudes Deo deferendi & gaudendi argumentum. Si fidem conſtantiamque fidelium variis exploravit vexationibus Chriſtus, aequum piumque fuit, triſtiſſima, quae particularis eccleſia experta erat fata, reliquos Chriſti coetus reſciſcere, ut partim enixius Chriſto commendarent eccleſiam, fraudibus diaboli male divexatam, partim ut harum participes fierent calamitatum. Prorſus enim hic verum dixeris illud Paulli: *Si dolet unum membrum, una condoleſcunt cuncta membra, & ſi in bonore eſt unum membrum, omnia membra congratulantur.* 1. Cor. XII. 26. Limato cum iudicio de his literis communicatoriis ſcribit ALEXANDER z) ALEXANDRIAE epiſcopus, Concilii Nicaeni adſeſſor haud infimi ordinis: Ἑνὸς σώματος ὄντος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἐντολῆς τε οὔσης

ἐν

z) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. Lib. II. Cap. II. in Gelaſii Actor. Volum. p. 366.

ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς, τηρεῖν τὸν σύνδεσμον τῆς ὁμονοίας καὶ εἰρήνης, ἀκόλουθόν ἐστι, γράφειν ἡμᾶς, καὶ σημαίνειν ἀλλήλοις τὰ παρ᾽ ἑκάστοις γινόμενα, ἵνα, εἴτε πάσχει, εἴτε χαίρει ἓν μέλος, ἢ συμπάσχωμεν, ἢ συγχαίρωμεν ἀλλήλοις. *Cum ſit unum corpus eccleſiae catholicae, cumque in ſacris literis traditum & praeceptum nobis ſit, ut concordiae ac pacis vinculum teneamus, conſentaneum eſt, ut per literas colloquamur inter nos, aliique alios mutuo de rebus, quae apud ſingulos geruntur, certiores faciamus, quo, ſive unum ex membris patitur ſive laetatur, nos inter nos vel patiamur una, vel una laetemur.* ALEXANDRI mentem aſſecutus eſt JO. CABASSVTIVS adfirmando: *Inter commoda innumera & emolumenta, quae in univerſam eccleſiam per formatas literas diffunduntur, primum dignitatis habebit locum admirabilis illa fidelium toto terrarum orbe in unitate fidei, in officiis caritatis & ſanctitate diſciplinae communio* a). Tradit porro, ſchiſmaticos & haereticos hanc religioſiſſimam ſocietatem eſſe aemulatos, ſed nunquam adſecutos. Vitio haec Chriſtianorum caret conſuetudo, qua doctorum de eccleſia Chriſtiana optime merentium literas publice praelegerunt, ut fideles in veritate magis confirmarentur, & adverſus male feriatorum munirentur tela. Refert nobis EVSEBIVS b) ex epiſtola DIONYSII Corinthiorum epiſcopi; cuius aetas circa medium ſaeculi ſecundi incidit, huius argumenti teſtimonium, quod fide non deſtituitur. Scribit laudatus DIONYSIVS ad SOTEREM Epiſcopum Romanum, & illum certiorem facit, redditas lectasque eſſe eius in coetu ſacro epiſtolas. Audiamus ipſum EVSEBIVM: *Hodie*, inquit, *ſacrum diem dominicum tranſegimus, in quo veſtram epiſtolam legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes perinde ac priorem illam nobis a Clemente ſcriptam epiſtolam optimis praeceptis ac docu-*

a) vid. Notit. Eccleſiaſt. Sec. II. Diſſ. VII. p. 34.

b) vid. ej. Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. IV. Cap. XXIII. p. 59.

Digitized by Google

mentis abundabimus. A ſcopo alienum eſt, horum trium virorum, CLEMENTIS videlicet, SOTERIS, & DIONYSII illius Corinthiorum praeſulis ſtabilire auctoritatem, aut dubia viris limati iudicii exorta, & a TILLEMONTIO, DV PINIO, SAMVELE BASNAGIO, PEARSONIO & ITTIGIO ſolide enucleata, denuo ſub examen vocare, id ſaltem, niſi quis EVSEBII fidem arrodere aut ſubvertere velit, certum evictumque eſſe crediderim, virorum inſignium ſpectataeque auctoritatis doctorum epiſtolas in uſum fidelium diebus ſolis eſſe ex ſuggeſtu decantatas. Novo ſe noſtra tuetur ſententia teſtimonio ab EVSEBIO depromto, quo aſſeritur, HERMAE librum, qui appellatur paſtor, eadem ratione in ſacris publicis eſſe recitatum. *Sciendum eſt*, inquit, *Hermae librum, qui paſtor inſcribitur, a nonnullis quidem in dubium eſſe revocatum, quam ob rem inter receptae auctoritatis libros cenſeri non poteſt. Ab aliis vero maxime neceſſarius iudicatur, iis praeſertim, qui primis religionis noſtrae elementis inſtituendi ſunt. Unde etiam in eccleſiis eum publice legi comperimus, & quosdam ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus ipſius teſtimonio uſos fuiſſe.* c). Judicatu dictuque eſt perdifficile, de cuius HERMAE libro ſermo ſit Euſebio. In triviis notum, & a viris limatis SAMVELE BASNAGIO d), B. THOMA ITTIGIO e) & JVSTO FONTANINO f) evictum eſt, hoc in argumento HERMAM, viris Apoſtolicis adſcriptum, quem Paullus in Epiſtola ad Romanos ſalutari iubet, Rom. XVI. 14. cum HERMA ſeu potius HERMETE PII I. fratre turpiter commutari. HERMAS ſine dubio Paulli diſcipulus & pereximius fuit eccleſiae doctor, & deinde Epiſcopus Philippenſis, ſi fidem meretur DOROTHEVS TYRIVS

c) vid. Euſeb. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. III. Cap. III. p. 29.

d) vid. ej. Annal. Polit. Eccleſ. Part. II. ad ann. 157. p. 112. ſeq.

e) vid. ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Sæc. I. Cap. I. §. XXIII. p. 65. & Cap. III. Sect. III. p. 155. ſeq.

f) vid. ej. Hiſtor. Litterar. Aquileienſ. Lib. II. Cap. I. p. 63. ſeq.

RIVS g). Sed HERMES paſtor fuit homo Latinus, & presbyter, ut FONTANINVS h) arbitratur, qui & librum de paſchate dominico celebrando iamiam deperditum conſcripſit, ſed libri, qui paſtor appellatur, non eſt auctor. Quo in argumento FONTANINO fidem noſtram non denegamus. At neque JOANNI PEARSONIO i) neque NICOLAO NOVRRIO k) noſtrum addimus ſuffragium, HERMAM Paulli diſcipulum hunc, de quo diſceptatur, conſignaſſe librum, ſed illum Hermae eſſe ſuppoſitum ſtatuimus, quum tantis ſcateat ineptiis, erroribusque, ut credibile non ſit, illum a viro Apoſtolico eſſe profectum. Si enim is eſt ille liber ſeu Hermae paſtor, qui ad noſtram pervenit aetatem, l) tribusque abſolvitur libris, atra potius nocte, quam luce, eſt dignus. Abundat ille foetus vix bimeſtris tam inſulſis & incongruis viſionibus & meditationibus, ut vim intulerit is HERMAE, qui hunc librum ipſi attribuerit, quod a ſupra laudatis viris B. ITTIGIO & BASNAGIO, ut alios praeteream, ad oculatam demonſtratum eſt fidem. Inde ITTIGIVS m) ſummo cum iure utrumque HERMAM & HERMETEM ab hac macula abſolvit. Auget ſententiae noſtrae firmamentum, quod in epiſtola PII I. adducuntur controverſiae, quae tempore HERMAE Apoſtolici nondum innotuerant. Etenim PIVS ex HERMAE libro componere anniſus eſt litem, ob celebrationem Paſchatos enatam, quum tamen hanc controverſiam ignoret HERMAE paſtor, neque HERMAE, viri illius Apoſtolici, aevo haec concertatio fuerit ſub iudicium vocata. Laterem proinde lavat laudatus NOVRRIVS, qui omnes naevos huius libri nomine Paſtoris inſigniti ad ſalutem convertere ſatagit, quum in aprico ſit, in hoc libro non ſolum fidei contraria, ſed & recentioris

aetatis

g) vid. ej. Synopſ. de Vit. & Mort. Prophet. de LXXII. Diſcipul. p. 428. Biblioth. M. P.P. Tom. III. Conſ. Auctor. Chronici Paſchal. p. 418.

h) vid. l. c. p. 66.

i) vid. ej. Vindic. Epiſtol. S. Ignat. Part. I. Cap. IV. 39. ſeq.

k) vid. ej. Apparat. ad B.B. M. P.P. Tom. I. Diſſertat. IV. Art. III. p. 47.

l) vid. B.B. M. P.P. Tom. II. p. 24. ſeq.

m) vid. ej. Diſſertat. de Patrib. Apoſtol. Theſ. 55.

aetatis occurrere documenta & inſtituta. Uſos ceteroquin eſſe eccleſiae doctores hoc libro, ſeu paſtore, IRENAEI, TERTVLLIANI, HIERONYMI, & CHRYSOSTOMI, teſtimonia facile nobis perſuadent, neque PEARSONIO n) ſubtrahimus calculum, in eccleſiis publice eſſe lectum ad inſtitutionem Catechumenorum, & pro libro eccleſiaſtico habitum. Exinde pateſcit, HERMAE paſtorem alio plane veſtitu fuiſſe ornatum, & in eius locum poſtea fictitium ſurrogatum eſſe librum.

§. XXXII.

Male omnino rebus Chriſtianorum inprimis eorum, qui puris ſaniſque religionis chriſtianae principiis erant imbuendi, conſuluerunt eccleſiarum praeſules, qui hunc librum, niſi forte melior extiterit, & iamiam deperditus ſit, in librorum eccleſiaſticorum in eccleſiis praelegendorum receperunt numerum. Plus enim detrimenti quam emolumenti hunc paſtorem attuliſſe ovibus paſcendis, mihi certiſſime eſt perſuaſum. Animadverſum eſſe hoc vitium deinceps a Patribus Laodicenis putaverim, qui libros canonicos & Apocryphos rite diſpeſcendi, & libros minutae auctoritatis hactenus in conventibus publicis admiſſos e Chriſtianorum templis prorſus eliminandi, ſtrenue in ſe ſuſceperunt provinciam. Lege quaeſo huius Concilii canonem o): *Non oportet ab idiotis Pſalmos compoſitos & vulgares in eccleſiis dici: neque libros, qui ſunt extra canonem, legere, niſi ſolos canonicos novi & veteris Teſtamenti.* Quae ſacrorum emendatio a Laodiceno concilio ſuſcepta laudis encomio non caret. At inſtituti noſtri memores nunc ad uberiorem penitioremque litterarum commendatitiarum revertimur contemplationem. Agedum, eruamus litteras commendatitias in ſacro codice obvias.

§. XXXIII.

n) vid. l. c. p. 41.
o) vid. Harduin. Concil. Tom. I. huj. Concil. Can. Lib. IX. p. 791.

Digitized by Google

§. XXXIII.

Secunda harum litterarum ratio eſt hoſpitalitatis teſſera, de quo litterarum commendatitiarum genere nunc prolixius erit agendum. Perantiqua fuit haec apud Graecos & Romanos, immo omnes propemodum gentes, hoſpitalitatis conſuetudo, quam nobis ex antiquisſimis rerum geſtarum monumentis, praeter ALEXANDRVM ab ALEXANDRO p), in ſpicilegio exhibent JO. GVILIELMVS STVCKIVS q), THOMASINVS r), JOS. LAVRENTIVS s) & CASALIVS t). Singulari ſtudio hanc advenarum & peregrinorum hoſpitalitatem HOMERVS, poetarum, procul dubio, coryphaeus, inculcavit, his verſibus EVMAEVM allocutus:

> Ξεῖν᾽, οὔ μοι θέμις ἔσ᾽, οὐδ᾽ εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι,
> Ξεῖνον ἀτιμῆσαι· πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
> Ξεῖνοί τε, πτωχοί τε δόσις δ᾽ ὀλίγη τε, φίλη τε.
> *Hoſpes ſi noſtris ſuccederet advena tectis*
> *Vilior, acciperem placide. Sunt dives egensque*
> *A Iove: parvum hoc eſt (fateor) ſed munus amicum.* u)

Ex pervetuſto hoc HOMERI documento intelligimus, hoſpitalitatem inter primaria pietatis officia a priſca mortalium gente fuiſſe relata. Cedro imprimis digna ſunt haec verba: *divites & egeni ſunt a Iove.* Quae verba ex tripode, &, ne quid amplius dicam, oraculo divino ſunt depromta. Vix ovum ovo eſt ſimilius, quam haec verba ſunt iis, quae habet ſapientiſſimus mortalium Salomo: *dives & pauper mutuo occurrunt, utrumque fecit Deus.* Prov. XXII. v. 2. Quae ſummi Numinis providentia in diverſo mortalium vitae ſtatu, conditione & fortuna obvia, ſapientiae divinae documentum eſt longe praeſtantisſimum. Scite pro ingenii iudiciique acie celeberrimus quondam in Anglia MICHAEL JERMINVS x) diſputat,

p) vid. Ej. Lib. IV. Dier. Genital.
q) vid. Ej. Antiquitat. Convival. Lib. I. Cap. XXVII. p. m. 92. ſeq.
r) vid. Theſ. Gronov. T. IX. fol. 219.
s) vid. Lib. de Conviv. Hoſpital. teſſer. & ſtren. Cap. IX. fol. 198.
t) vid. Lib. de Tricl. Conviv. Hoſpit. & teſſ. Vet. Cap. III. p. 155.
u) vid. Odyſſ. ξ. v. 56. ſeq.
x) vid. Paraphraſticall. Meditations upon the whole Bocke of the Proverbs of Salomon. Chap. XXII. v. 2. p. 487. a Lond. 1638.

Digitized by Google

quando ad haec Salomonis verba ſcribit: hanc pauperum & divitum differentiam exterius eſſe aliquod veſtimentum, quo quis vel pretioſiori vel tenuiori induatur: Noſtrarum vero eſſe partium, ex hoc fortunae diſcrimine divinum nutum & providentiam, qua mortalium rebus optime proſpicit, devota mente agnoſcere. Mitto alia hoſpitalitatis documenta, quae ex Callimacho, Herodoto, aliiſque & Graecorum & Romanorum monumentis collegit B. CHRISTIAN. WEISIVS y), immortale Lipſiae decus. Cretenſes nunc, quod attinet, hoc hoſpitalitatis nomine inclaruerunt. Tradit enim ATHAENEVS z) & qui eum ſequitur POTTERVS a), illos habuiſſe in ſua inſula exſtructas domus, quarum unam ἀνδρεῖον, alteram vero κοιμητήριον appellarunt. In domo vero convivali fuerunt menſae ξενικαὶ ſeu hoſpitales, quibus hoſpites aſſidebant, & lautius cum CRETENSIBVS vivebant. Opipare plerumque vixerunt, & cum ſuis hoſpitibus gulae ad temulentiam usque indulſerunt. Quae CRETENSIVM in hoſpites liberalitas ſeu potius prodigalitas in luxum abiit, ut apud alias gentes omnium profuſisſimi & luxurioſiſſimi audirent, quo titulo a Paullo afficiuntur, & ex EPIMENIDE appellantur γαστέρες ἀργαί. Tit. I. 12. Plerumque enim accidit, ut nimia hominum hoſpitalitas, in luxum & comeſſationem degeneret, quum iis non deſint amici, qui fece demum exſiccata diffugiunt. Quam ſancte a Romanis hoſpitalitatis iura ſint obſervata, adeo quidem, ut IOVEM hoſpitalitati praefecerint, illumque XENIVM appellarint, ex multis documentis e Latinorum ſcriptis depromtis, expoſuit JOANNES BAPTISTA CASALIVS b), qui hac opera ſatis feliciter eſt functus. Extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum, Chriſtianos illud hoſpitalitatis inſtitutum obſervaſſe, cuius rei luculenta in ipſa Scriptura ſacra & Veteris & Novi inſtrumenti offenduntur veſtigia, a nobis iam praetermittenda. Inſtigare poterat primitivos Chriſtianos, praeter crebras Ieſu & Apoſtolorum de recipiendis, cibandis & hoſpitaliter tractandis Chriſti ſodalibus, adhortationes, triſtiſſima iſtorum ſaeculorum facies, qua Chriſtiani opum ſuarum iacturam perpeſſi, incertis ſedibus vagari, & aliorum beneficiis

y) vid. Ej. Diſſ. II de Numinib. Vialib. §. I. p. 4. ſeq. edit. Lipſ. 1724.
z) vid. Athaenei Lib IV. Cap. IX. p. 143 edit. Lugd.
a) vid. Archaeolog. Graec. Vol. II. Chap. XXI. p. 413.
b) vid. ej. Lib. de Urbe ac Roman. olim Imper. ſplendor. Cap. XX. de hoſpitalit. p. 334. ſeq.

by Google

ficiis frui, coacti ſunt. Quae luctuoſiſſima Hebraeis acciderat ſors, quorum pietatem & conſtantiam commendat Paullus: *τὴν ἁρπαγὴν τῶν ὑπαρχόντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς προσεδέξασθε: opum veſtrarum direptionem cum laetitia ſuſtinuiſtis.* Hebr. X. 34. Ne igitur exules, pauperes & advenae, quo demum veniant nomine, rerum agendarum deſtituti nervo, ſtipem colligerent, aut inopia premerentur, primorum Chriſtianorum pietas ipſis de alimentis & hoſpitio bene & ſapienter proſpexit. Summa proinde Chriſtianorum in dictos exules & advenas, litteris communicatoriis & commendatitiis ornatos, fuit benignitas, qua eos peramanter receperunt, & omnibus, ad victum & cultum neceſſariis, adauxerunt ſubſidiis, quod argumentum ex optimis documentis dilucidat GVILIELMVS CAVEVS c).

§. XXXIV.

Illuſtre nobis in JVLIANI, eiurati Chriſtianorum hoſtis, epiſtola ad ARSACIVM Pontificem Galatiae ſcripta, obvium eſt de pietate Chriſtianorum in recipiendis peregrinis & advenis documentum. Citam & foecundam Chriſtianorum ſobolem, inter alia eccleſiae propagandae media, adſcribit JVLIANVS APOSTATA huic Chriſtianorum erga pauperes & peregrinos caritati, his uſus verbis: *τί οὖν ἡμεῖς οἰόμεθα ταῦτα ἀρκεῖν, οὐδὲ ἀποβλέπομεν, ὃ μάλιστα τὴν ἀθεότητα συνηύξησεν, ἡ περὶ τοὺς ξένους φιλανθρωπία, καὶ ἡ περὶ τὰς ταφὰς τῶν νεκρῶν προμήθεια, καὶ ἡ πεπλασμένη σεμνότης κατὰ τὸν βίον. cur non potius convertamus oculos ad ea, quibus impia Chriſtianorum religio creverit, id eſt ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis ſepeliendis poſitam, & ad ſanctimoniam vitae, quam ſimulant.* d) Quae JVLIANI verba fuſius perſecutus eſt SOZOMENVS e) & ſolidiſſima, pro more, illa donavit cl. PETRVS ZORNIVS f) commentatione. Laudi omnino vertitur hoc JVLIANI imperatoris teſtimonium Chriſtianis, qui divini Petri inhaeſerunt monitis 1. Petr. II. 12. *τὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἔχοντες καλὴν, ἵνα, ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν ὡς κακοποιῶν, ἐκ τῶν καλῶν ἔργων ἐποπτεύσαντες δοξάσωσι τὸν Θεὸν ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς: converſationem ve-*

c) vid. Primitive Chriſtianity or the Religion of the Ancient Chriſtians. Part. III. Chap. II. of theis admirable Love and charity. p. 389.

d) vid. Ej. Op. Epiſtol XLIX. p. m. 429.

e) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. V. Cap. XVI. p. 158.

f) vid. Ej. Commentar. in Iulian. ad Arſacium epiſtol. confer la Bibliotheque Germanique Tom. XX. Art. III. p. 68.

Digitized by Google

ſtram habentes honeſtam in gentibus, ut, in quo obloquuntur vobis, ut malefactoribus, ex bonis operibus inſpicientes glorificent Deum in die viſitationis. Quot quaeſo malae famae notae aduſtae ſunt Chriſtianis, quas tamen ſumma vitae abluerunt integritate, adeo quidem, ut ipſi gentiles in illorum vitam introſpicientes, tanquam in ſpeculum, inde ſibi, quod ex uſu erat, callide ſumſerint. Tanta Chriſtianorum integritas exſtimulavit gentilium animos, ut non ſolum in nonnullis doctrinis, ſed etiam vitae inſtitutis, Chriſtianos imitarentur, quod ſaepe laudatus ven. MOSHEIMIVS g) circa hoc momentum perapte obſervat. Erubuerunt pagani ob tam inſignem Chriſtianorum in peregrinos munificentiam, quia JVLIANVS ARSACIO in excitata epiſtola hanc tradit provinciam, ut Xenodochia multa exſtruat, quo peregrini ipſorum benignitate frui poſſint. Profuſas ſubminiſtrat JVLIANVS ARSACIO opes, ne haec gloria Galilaeis ſeu Chriſtianis ſolis videatur relicta. h)

§. XXXV.

Licet autem hac hoſpitalitatis teſſera omnes gauderent Chriſtiani; maiore tamen honore recepti & inſigniori beneficiorum documento illi ſunt adaucti, qui, praeter receptas litteras communicatorias, attulerunt *commendatitias.* Non negamus, has litteras *commendatitias* ſeu συςατικὰς aliquo modo a litteris differre pacificis ſeu *communicatoriis. Pacificae* enim ſeu *communicatoriae* promiſcue felicioris & vilioris ſortis hominibus peregre proficiſcentibus datae ſunt litteræ, quæ ipſis quoque liberum, pro ipſorum conditione, praepararunt hoſpitium, quia communio ſacrorum cum hoſpitalitatis beneficio primis ſaeculis fuit coniuncta. Litterae vero *commendatitiae* iis datae ſunt, quorum pietas ſatis fuit explorata & perſpecta, & qui, ob pietatem & merita in eccleſiam collata, nec minus ob dignitatem, ſumma veneratione erant excipiendi. Datae ſunt hae litterae *commendatitiae* & Clericis & Laicis, ſed optimae notae, non vero ſine diſcrimine omnibus, quod diſcrimen litteras inter communicatorias, pacificasque, & inter συςατικὰς ſeu commendatitias, optime obſervat GABRIEL ALBASPINAEVS Aurelianenſis, adfirmando: *qui communicatorias & pacificas literas a commendatitiis non diſcriminant, falli*

g) vid. Diſſertat. Hiſt. Theolog. de ſtudio Ethnicor. Chriſtian. imitandi. §. XIX. p. 375. h) vid. l. c. p 430.

falli videntur. Pacificae quidem ſolum Laicis dabantur peregrinantibus, ut ad communionem admitterentur, & hoſpitalitatis iure gauderent. At commendatitiae, non niſi dignioribus Laicorum & Clericorum ab Epiſcopis & metropolitanis dabantur, ut in omnibus negotiis adiuvarentur, & lautius exciperentur. i) Haud difficile eſt, hanc noſtram de litteris *commendatitiis* ſententiam teſtimoniis e ſacro codice, & hiſtoria eccleſiaſtica petitis ſolide confirmare.

§. XXXVI.

Primo oculos noſtros in ſacri Codicis & Novi quidem Foederis coniicimus oracula, quibus aliquam lucem procul dubio hac noſtra commentatione affundemus. Pluribus locis harum litterarum *commendatitiarum* fit mentio. Expresſis verbis has literas excitat divus Paullus: *εἰ μὴ χρήζομεν, ὥς τινες, συςατικῶν ἐπιςολῶν πρὸς ὑμᾶς, ἢ ἐξ ὑμῶν συςατικῶν; numquid indigemus, ſicut quidam, commendatitiis epiſtolis ad vos, vel iisdem a vobis?* 2. Corinth. III. v. 1. Duplex apud Graecos fuit harum commendatitiarum litterarum uſus. *Alter* in amicitia ineunda & confirmanda, *alter* in athletis ad ludos publicos abeuntibus rite dignoſcendis. Vna harum litterarum ratio amicitiam attingit ineundam. PLATO, teſte LAERTIO k), amicitiam, quae homines conſociat, triplicem eſſe opinatur: *prima* eſt *Φυσικὴ*, ſeu naturalis, *ſecunda ἑταιρικὴ*, ſocialis, *tertia ξενικὴ*, hoſpitalis, *ἡ ἀπὸ συςάσεως γραμμάτων γινομένη, quae ex litteris oritur commendatitiis*, quibus aliis nobis adhuc ignotis aſſociamur. Alter harum litterarum ſyſtaticarum ſeu commendatitiarum uſus fuit in ludis potisſimum Olympicis, in quibus athletae, qui virium ſuarum periculum facere & in arenam deſcendere optabant, litteras commendatitias a ſuis popularibus ad gentes Helladicas adferre ſolebant, ut vitae morumque extaret teſtimonium. l) Dubio caret omni, Apoſtolum his literis commendatitiis ad priorem harum litterarum reſpicere rationem, qua noſtros amicos ad alienas terras ituros litteris adornamus commendatitiis, quo libere recipiantur, & hoſpitio emolumentisque conferendis digni aeſtimentur. Non indigebat Paullus his

 litteris

i) vid. ej. Not. in quosd. canon. concil. Aſiae ad Canon. XI. Concil. Chalcedon. p. 363.
k) vid. de Vit. Philoſophor. Lib. III. p. m. 88. edit. Lond. cum not. Menag.
l) vid. Dio Chryſ. in Rhodiac. fol. 233. edit. Ald.

Digitized by Google

litteris commendatitiis, quippe cuius fides omnibus fidelibus, quibus contigerat, ab ipſius ore pendere, aut eius epiſtolas legere, ſatis explorata erat & perſpecta. Retundit proinde falſorum apoſtolorum inſtitutum his verbis: *ὥς τινες*, *ſicut nonnulli* ſcilicet opus habent. Quo enim male deciperent, & pecunia ſimpliciores emungerent Chriſtianos, falſi apoſtoli, a ſuis ſectatoribus expetiverunt litteras commendatitias, quas habuerunt quaeſtui, ad decipiendos & defraudandos eos, ad quorum accedebant limina, quod Petrus his mihi indicare videtur verbis: *καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται*, *ex avaritia fictitiis verbis vos nundinabuntur*. 2. Petr. II. v. 3. Maximi omnino ſunt ponderis illa verba, *πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται*. Vox *πλαστὸς* a figulis deſumitur, qui vaſa ſua vario liniunt & adornant colore, ut quantivis pretii eſſe videantur, quam vocis notionem HENRICVS STEPHANVS m) confirmat. Verbum *ἐμπορεύεσθαι* a mercatura eſt depromtum. Mercatores enim, qui impigri extremos ad Indos currunt, in coëmendis mercibus, alienas plerumque contemnunt, & ſuas, quas volunt extrudere, egregie laudant, ut ipſis illae viliori, hae aliis maiori, concedantur pretio. Eadem ratione falſi apoſtoli, doctrinas apoſtolorum Ieſu ſuppreſſerunt, & omnem ipſis auctoritatem ſubtraxerunt, falſas autem ſuas perſuaſiones, novo obduxerunt colore, & omnibus modis eas aliis commendarunt, & hoc modo non ſolum commercium quaſi animarum inſtituerunt, ſed & ipſi lucrum haud leve ex hac mercatura ſpirituali perceperunt, & quaeſtum fecerunt. Quod vitium iam in Romana eccleſia eſt obvium. Ceteroquin res eſt indubitata DANIELI WHITBIO n), JOANNI DOVGTAEO, o) B. FRIDERICO BALDVINO, p) & AVGVSTINO CALMETO, q) compunxiſſe Paullum apoſtolorum falſorum doctorumque litteras commendatitias hinc & inde corraſas, & ex adverſo ſui muneris fideique ſtabiliviſſe auctoritatem. Inde de ſua in Corinthios pietate minimeque fucato animo ſcribit Paullus: *οὐ ζητῶ τὰ ὑμῶν, ἀλλ' ὑμᾶς. οὐ γὰρ*

m) vid. ej. Theſaur. Lingv. Graec. Tom. III. p. 346. ſeq.

n) vid. A. Paraphraſe and Commentar. upon auth Epiſtes of the Neu Teſtament ad h. l. p. 198. a Lond.

o) vid. ej. Analect. ſacr. Part. II. Excurſ. LXXXI. p. 120.

p) vid. ej. Commentar. in Epiſtol. Paullin. ad h. l. p. 591.

q) vid. ej. Op. Commentar. Tom. VIII. ad h. l. p. 253.

Digitized by Google

γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θησαυρίζειν, ἀλλ᾽ οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις. *Non veſtra, ſed vos quaero. Non enim debent liberi parentibus congerere divitias, ſed parentes liberis.* 2. Corinth. XII. com. 14. Nemo, niſi male feriatus & iniquus Apoſtolorum cenſor, hanc, qua omnem a ſe diteſcendi cupiditatem fortiter amovet Paullus, ipſi vitio vertet rationem. Illuſtris hic Ieſu praeco, qui omnia humanae felicitatis bona ne tanti quidem aeſtimavit, ut ipſe profitetur, Philip. cap. III. 8. 9. neutiquam lucrum aut divitias a ſuis auditoribus corradere allaboravit, ut potius famem ſitimque ſuſtinuerit, & manibus ſuis neceſſarium ſibi comparaverit victum, 1. Corinth. IV. 11. 12. quo malevolorum extingueret, de quaeſtu, ſuſurrationes. Non defuerunt Corinthiaca in eccleſia tenebriones, qui Paulli famam eo nomine, quod munus ſuum quaeſtui haberet, frivole ſugillabant, quorum laſcivia erat compeſcenda. Nihil enim perſona Paulli videbatur indignius, nihilque ipſis Corinthiis accidere poterat ingratius, hoc novo opes ex aliis eliciendi aucupio. Saniores enim ſagacioresque inter gentiles ſuorum ſacrificulorum avaritiam, & pecuniam acquirendi ſtudium, torvo aſpexerunt vultu, aegreque ſunt paſſi, ſe his artibus pecunia emungi. Laudanda proinde fuit Paulli frugalitas & abſtinentia, qua edocuit, ſe ab erronibus, & falſis doctoribus, multis differre ſtadiis, ſeque non auditorum ſuorum fortunas, ſed ſalutem optare, efflagitare, & anxie quaerere aeternam. Secus egerunt falſi apoſtoli, de quibus illud HORATII r) verum eſt:

O cives, quaerenda pecunia primum eſt, Virtus poſt nummos.

§. XXXVII.

Fidem noſtrae ſententiae facile conciliamus, ſi iſtorum temporum conditionem penitius ex Patrum introſpicimus documentis. Inſigne nobis apud TERTVLLIANVM occurrit huius argumenti teſtimonium. TERTVLLIANVS, adverſus haereticos diſputans, illorum fucatas & ſubdolas explodit litteras, quibus aliis Chriſtianis fecerunt fucum, haec in verba erumpens: *Si haeretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non a Chriſto habendo, quod de ſua electione ſectati haereticorum nomine admittunt. Ita non Chriſtiani nullum ius capiunt Chriſtianarum litterarum, ad quos merito dicendum eſt: qui eſtis?*

r) vid. Epiſtol. Lib. I. Epiſtol. 1.

eſtis? quando, & unde veniſtis? s) Solide debellat TERTVLLIANVS falſorum apoſtolorum impoſturas, & fraudes, e quibus fictitiarum litterarum, quas appellat, Chriſtianarum, eminet uſus. Falſi Apoſtoli & perſonati Chriſtiani eccleſiam, quam ſuis apinis, erroribusque infecerant, deſerentes, litteras ſibi expetiverunt communicatorias, pacificas & commendatitias, ſeu Chriſtianas, quibus ſtipati ad alias emigrarunt eccleſias, ſuum venenum diſſeminantes. His artibus coloribusque, Chriſtianorum abuſi ſunt munificentia, & manibus ipſis perſuaſerunt gypſatisſimis, ſe Chriſti eſſe apoſtolos. Huius furfuris fuit PEREGRINVS, philoſophus ille Stoicus, ſeu potius, ut LVCIANVS SAMOSATENSIS t) arbitratur, Cynicus, qui religionem Chriſtianam lucri cauſa ad tempus eſt profeſſus. Cum veritatis firmamento hic PEREGRINVS ſectae Cynicorum aſſociatur, quod vitae inſtituta, quae obſervarunt Cynici, teſtibus STANLEIO u) & JONSIO x) ſatis confirmant. Nam ſordidus ipſis fuit corporis cultus, & αὐτοχειρία ipſis fuit licita, quod Magnif. CHRIST. GOTTL. JOECHERVS y) nuper admodum ſolide expoſuit. Totam, ni fallor, rem iam iam compoſuit S. R. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS z), qui de PEREGRINI haereſi ita ſentit: *Peregrinum tum ſectae Cynicae fuiſſe addictum, tum a Cynicis etiam defenſum pro magnanimo. Quo argumento ſatis, arbitror, efficitur, Cynicorum ſcholam hoc ſcitum cum Stoicis habuiſſe commune.* Quibus moribus prorſus addictus fuit PEREGRINVS. Evicta porro res eſt, PEREGRINVM Cynicorum ſectae fuiſſe ſocium, quum LVCIANVS a) commemoret, plures Cynicos ad rogum adſtitiſſe. LVCIANVS huius impoſtoris, quem Proteum appellavit, vitam & mortem fuſius CRONIO tradit, & enarrat, quibus dolis Chriſtianos male deceperit, & ſe Chriſtianum iactitarit, ut illorum frueretur beneficiis. Poſtquam huius PEREGRINI nefanda

s) vid. Ej. Lib. de Praeſcript. adv. haeret. p. 84. edit. de la Barre.

t) vid. ej. vit. a Io. Burdelotio deſcriptam & not. adauct. apud Fabric. in Biblioth. Graec. Lib. IV. Cap XVI. p. 485.

u) vid. ej. Hiſt. Philoſ. P. VI. de Cynicis p. 505. ſeq.

x) vid. de ſcriptor. hiſt. philoſ. Lib. III. cap. VII. §. 8. p. 38.

y) vid. ej. Program. de Cynicis nulla re teneri volentibus p. 9. edit. 1743.

z) vid. ej. Diſſertat. de αὐτοχειρία philoſoph. p. 11. edit. Jen. 1703.

a) vid. op. Tom. IV. p. 299.

fanda & deteſtanda commemoravit facinora in Armenia commiſſa, haec tradit, quem dixi, LVCIANVS: *Poſteaquam tanti ſceleris fama divulgata eſſet, arreptaque fuga, ſe ipſe condemnaſſet, incertis vagans ſedibus oberrabat, terram terra commutando. Qua in peregrinatione, & mirificam illam Chriſtianorum ſapientiam perdidicit, circa Palaeſtinam cum ſacerdotibus & ſcribis illorum converſans. Ac ſane non multo in tempore pueros omnes prae ſe eſſe oſtendit, propheta ac ſacrificiorum princeps & ſynagogae ſocius, breviter, omnia ſolus exiſtens. Praeterea librorum nonnullos expoſuit, nonnullos vero & ſua induſtria conſcripſit. Ac veluti Deum hunc ipſum perbibebant: nam eo & legum auctore utebantur, & praefectum illum declarabant. Itaque etiamnum magnum illum hominem reverenter colunt, nempe illum, qui in Palaeſtina crucifixus eſt: quoniam primus novum illud myſterium in hominum vitam invexerat. Tunc vero comprehenſus etiam ob hoc ipſum Proteus in carcerem illapſus eſt. Quae quidem res ipſi non mediocrem dignitatem, cum ad inſequentem vitam, tum ineptias & gloriam, quarum erat amantiſſimus, conciliavit. Itaque poſtquam in carcerem coniectus eſt, Chriſtiani hanc rem graviter & indigne ferentes, nullam non impendebant operam, & plane movebant omnia, tentantes, ſi quo modo illum furtim posſint eripere. Deinde animadvertentes, hunc conatum fruſtra eſſe, nihil tamen ex altero, quo captivus egebat, obſequio intermittebant, verum omnia cum magna fide & diligentia praeſtabant. Ac mane quidem illico videre erat, iuxta carcerem praeſtolantes anus, viduas quaſpiam, & orbos puerulos. Illorum vero pars, etiam unà intus cum illo ſomnum capiebant, corruptis pecunia cuſtodibus. Exin omnis generis coenae inferebantur variae, ac ſacri inter ſeſe ſermones dicebantur. Atque optimus ille* PEREGRINVS *(adhuc enim hoc nominis obtinebat) novus quoque Socrates ab illis nominabatur. Quin etiam in Aſia pleraſque urbes fuiſſe conſtat, a quibus venerant quidam laturi auxilium, Chriſtianis mittentibus ex publico, neque non collocaturi, & virum conſolaturi. Incredibile vero eſt, quantum ſtudium & celeritatem in hoc oſtendant, ſi quid tale vulgo innotuerit. Illico enim nulli rei parcunt. Proinde Peregrino quoque multae tunc opes ab illis mittebantur ſub vinculorum praetextu, nec vulgarem rerum proventum lucri faciebat.* b)

b) Tom. IV. Op. p. 274. 277.

§. XXXVIII.

PEREGRINVS, Cynicae ſocietatis profeſſor, rerum omnium abſtinentiam ſimulavit, & ſqualido vitae genere uſus eſt. Nutrivit comam, ſordido amictus eſt pallio; pera ex humeris ſuſpenſa, baculum manu tenens, ut annis pannisque obſitus videretur. Omnes ſuas, quas ipſi reliquerat pater, Parianis diſtribuere pollicitus eſt opes, inde egenorum & infimae plebis animos in ſuas traxit partes, nefandaque ſua ſcelera in patrem, & alios viros bonos commiſſa, hoc operuit peplo. c) Sed ſemel atque iterum extorris, ob ſtupra & convicia in alios proiecta, factus, incertis erravit ſedibus, & modo Judaeorum, modo Chriſtianorum feſellit ſimplicitatem, & illorum ſumptibus nutritus eſt. Videtur hoc in loco LVCIANVS cum CELSO eadem oberrare chorda, & Chriſtianos cum Judaeis aliquantisper confundere. Quum enim in ſedes patrias, indultu TRAIANI & ADRIANI, ſe receperint Judaei, patria exules, & ſynagogas conſtituerint, dubium eſt nullum, quin PEREGRINVS in Palaeſtina Judaeorum quoque deceperit animos. Judaei enim, teſte HERMANNO WITSIO d), rempublicam ſacram aliquo modo reſtituerant, quod ex ſynagogis & ſacrificiis, quorum mentionem facit LVCIANVS, eluceſcit. Litem tamen non moveo illis, qui, LVCIANVM his iaculis ſagittisque petiiſſe Chriſtianos, arbitrantur. Tanto magis in illorum deſcendo ſententiam, quanto luculentior eſt LVCIANI de pietate & munificentia Chriſtianorum locus a nobis ſtatim adferendus. His itaque verbis LVCIANVS e) commendat benignitatem, ſed ſimul explodit illorum ſimplicitatem: ἔπειτα δὲ ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος ἔπεισεν αὐτὺς, ὡς ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων, ἐπειδὰν ἅπαξ παραβάντες, θεὺς μὲν τὺς Ἑλληνικὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιςὴν αὐτῶν προσκυνῶσι, καὶ κατὰ τὺς ἐκείνου νόμυς βιῶσι. καταφρονῦσιν ὖν ἁπάντων ἐξίσης, καὶ κοινὰ ἡγῦνται ἄνευ τινὸς ἀκριβῦς πίςεως τὰ τοιαῦτα παραδεξάμενοι. ἢν τοίνυν παρέλθῃ τις ἐς αὐτὺς γόης καὶ τεχνίτης ἄνθρωπος, καὶ πράγμασι χρῆσθαι δυνάμενος, αὐτίκα μάλα πλύσιος ἐν βραχεῖ ἐγένετο ἰδιώταις ἀνθρώποις ἐγχανών.

Deinde

c) vid. Lucian. l. c. p. 280.

d) vid. ej. Miſcell. ſacr. Tom. II. Exercitat. XII. de Hiſtor. Hieroſolymit. §. IV. p. 343. ſeq.

e) vid. Tom. cit. p. 277. ſeq.

Digitized by Google

Deinde primus quoque illorum legislator eorum perſuaſit animos, quemadmodum omnes inter ſe fratres eſſent. Poſtea vero quam ſemel a nobis deſciverunt, Graecorum Deos conſtanter abnegant, ſolum autem crucifixum illum impoſtorem adorantes, ſecundum illius leges vivendi rationem inſtituunt. Proinde apud illos omnia ex aequo habentur contemptui, exiſtimanturque eſſe communia, quae citra fidem exacte exploratam ſuſcipiunt. Quod ſi quis praeſtigiator, aut alioquin homo promtus & verſutus; & rei faciendae appoſitus, eos acceſſerit, brevi admodum opulentus efficitur, quippe qui hominum idiotarum ſimplicitate callide queat abuti.

§. XXXIX.

Ludibrio cavillationibusque proſcindit LVCIANVS Chriſtianorum fidem & integritatem, qua pendulas praebuerunt vafris & callidis impoſtoribus aures, quod ipſis vitio verti nequit, ſed haec priſcorum Chriſtianorum ſimplicitas quam maxime eſt laudanda. Exinde vero ſatis apparet, PEREGRINVM modo Chriſtianis, modo ſe aſſociaſſe Iudaeis. Cognita deinceps PEREGRINI perfidia, linguae petulantia & ſpurciſſima vita, de morte ſibi inferenda cogitavit. Quod ut tanto ſplendidius fieret, rogo exſtructo, ſe in ignem conjecit. f) Quae αὐτοχειρία multis olim philoſophis uſitata, eorumque principiis de animae conditione, & inſatiabili inclareſcendi ſtudio, ſatis apta fuit, quod S. R. CHRISTOPH. AVGVSTVS HEVMANNVS g) ad evictam praeſtitit fidem. Contigiſſe ceteroquin hanc PEREGRINI cremationem, proprio auſu ſuſceptam, circa St. POLYCARPI martyrium, quod in rogo feliciter conſummavit, veritati eſt ſimile. Si MOYNIO h) fides eſſet adhibenda, leve admodum intervallum inter PEREGRINI & St. POLYCARPI mortem foret conſtituendum, quum laudatus Criticus triſte hoc PEREGRINI ſpectaculum ad annum CLXVI. Ærae domini, & St. POLYCARPI martyrium ad annum CLXVII. referat. EVSEBIVS i) hoc PEREGRINI facinus ad annum CLXVII. refert. Sed iam

f) vid. Lucian. l. c. p. 298. g) vid. ej. laud. Diſſ. p. 11.
h) vid. ej. Var. Sacr. T. I. Prolegom.
i) vid. Chronic. Lib. II. p. 169.

Digitized by Google

iam iam obſervavit SAMVEL BASNAGIVS, k) illud certamen Olympicum anno CLXV. Olympiade videlicet CCXXXVI. Piſis eſſe celebratum. Polycarpi vero martyrium ex ÆGIDII BVHERII calculo, cui ſubſcribunt JACOBVS VSSERIVS, BASNAGIVS, ſed haeſitat PETRVS FRANCISCVS FOGGINIVS l), anno CLXIX. feliciter eſt peractum. At nolo me in has Chronologorum ſyrtes, voraginemque immittere, quum PEARSONIVS m) ſumma ope BVCHERII & VSSERII temporum rationes eneruare allaboret, adfirmetque, feliciſſimum hunc Polycarpi exitum anno CXLVII. accidiſſe. Vix Oedipus has Chronologorum componet temporum rationes, easque quandoque tam vagas, & detortas, ut acutiſſimorum fallant Criticorum meditationes. Quod hoc in argumento inde enatum eſſe putaverim dubium, quia nihil magis lubricum & incertum eſt, quam temporum elapſorum per Olympiades notatio. Valde enim dubius ancepsque eſt terminus, quo coeperunt Olympiades. Interpolatae porro ſunt, temporum ſucceſſu, Olympiades, mutataeque. Deficiunt ulterius genuinae Olympiadum rationes, aliique occurrunt huius calculi griphi, ut facile IOANNI CHRISTOPH. ARTOPOEO, n) hiſtorico Argentoratenſium quondam celeberrimo, ſubſcribam, difficilem incertumque eſſe hunc Olympiadum calculum. Vtramque autem facit in conſtituendo PEREGRINI cremationis termino haec comparandi per Olympiadas ratio, paginam, proinde quivis pro ſuo, quo Olympiadas numerat, calculo, tempus funeſti ſpectaculi, a PEREGRINO facti, aeſtimat. Tanto libentius hoc argumentum obelo notare poſſum, quum nullum aut ſaltem leviuſculum rei tractandae accreſcat emolumentum. Id ſaltem certum eſſe putaverim, LVCIANVM hanc hiſtoriam eo animo delineandam ſuſcepiſſe, ut Chriſtianos hoc argumento traduceret, quippe qui ſponte ad martyria ruebant, & de martyrio tanquam trophaeis, coronisque impenſe gloriabantur. Non levem excitavit hoc PERE-

k) vid. ej. Annal. Politico-Eccleſiaſtic. Tom. II. ad ann. CLXV. p. 126.

l) vid. ej. Exercitat. Hiſtor. Critic. de Div. Petr. Epiſcopat. & Itiner. Exercitat. XVI. p. 373.

m) vid. ej. Op. Poſthum. Chronolog. Diſſ. II. Cap. XX. §. II. p. 308.

n) vid. ej. Diſſertat. Hiſtoric. de Incertitudine Notationis Tempor. per Olympiadas §. 7. p. 16. Edit. Argentorat. 1699.

Digitized by Google

PEREGRINI factum in animis ſectatorum de ſanctitate huius foedisſimi hominis opinionem, adeo quidem, ut ſtatua ei poneretur, quae reſponſa dare ferebatur, teſte ATHENAGORA. o) Non ſerio haec ſcribit ATHENAGORAS, ſed explodit NERILLI, PROTEI, & ALEXANDRI ſtatuas & oracula. Et LVCIANVS exſibilavit horum aſſeclarum, de PEREGRINI morte, ſtuporem, & iis fucum fecit, quod vultur e flamma recta in coelum evolarit, quo vanam ipſorum, de apotheoſi PEREGRINI, illuderet perſuaſionem. p) Praeſtitit cavilloſus ille LVCIANVS ſe teſtem, obſidemque, ſe vidiſſe ardentem PEREGRINI animam in coelum aſcendere. Vſu enim apud Romanos fuit receptum, teſtem huius apotheoſeos clanculum ſubornare. JVSTINVS MARTYR q) hanc nobis accurate tradit perſuaſionem: *καὶ τί γὰρ τὺς ἀποθνήσκοντας παρ᾽ ὑμῖν αὐτοκράτορας, ἀεὶ ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιῶντες, καὶ ὀμνύντα τινὰ προάγετε ἑωρακέναι ἐκ τῆς πυρᾶς ἀνερχόμενον εἰς τὸν ὐρανὸν τὸν κατακαέντα καίσαρα; porro cur morientes apud vos imperatores ſemper immortalitati conſecrare dignamini, producentes quempiam, qui iureiurando confirmet, vidiſſe ſe e rogo in coelum aſcendere ardentem Caeſarem?* Quam vanam gentilium opinionem non praeteriit EDVARDVS CHERBVRIVS. r)

§. XL.

Compunxit, quod in vado eſt, LVCIANVS non Chriſtianorum, ſed CYNICORVM philoſophorum ſtuporem & ſtultitiam. Commemorat enim LVCIANVS, heroicum illud PEREGRINI factum, finitis certaminibus Olympicis, quibus ipſe adfuit, eſſe perpetratum. Mitto, Chriſtianos hanc PEREGRINI *αὐτοχειρίαν* minime laudaſſe, nec confirmaſſe ſuo ſuffragio. Chriſtiani enim neutiquam licitum eſſe credidere, ſibimetipſis manus inferre violentas, aut prius, quam ſummo rerum humanarum arbitro placuerit, de huius vitae diſcedere ſtatione, quae vana perſuaſio deinceps in rude illud Circumcellionum inceſſit genus, qui martyrii cupiditate illecti, proni in ferrum, aquam, ignemque, plusquam belluino ferebantur impetu, marty-

o) vid. Athenagor. in Legat. pro Chriſtian. p. 150. Bibl. M. Patr. Tom. II, p. 11.
p) vid. l. c. p. 301. ſeq.
q) vid. ej. Apolog. II. p. m. 67.
r) vid. ej. Relig. Gentil. p. m. 107. ſeq.

martyrum nomine minime omnium digni. Plus igitur laudis, quam opprobrii, ex hac LVCIANI commentatione redit ad Chriſtianos. Non hos, ſed PEREGRINI ſervum pecus, ſale Attico perfricuit, Romanoque. Stupidi enim PEREGRINI pediſſequi, ob hoc erronis facinus, in ſtuporem quaſi abrepti, omnium fuerunt perſuaſisſimi, illum non e vita, ſed e domo in domum, ad divorum concilium nimirum, emigraſſe. Id ſaltem, ſi quis mordacius diſputare vellet, inde promanaret, Chriſtianos fraudibus PEREGRINI ſeductos, male ſua collocaſſe beneficia. Laudi merito duxeris Chriſtianis, illos tam pronos, propenſosque in conferendis fuiſſe auxiliis, quo nomine nulla ipſis malae famae aduritur nota, ſed ipſorum pietas hoc LVCIANI teſtimonio commendata tanto magis inclareſcit, quod B. JO. FRANCISC. BVDDEVS s) plurium philoſophorum gentilium criminationibus in Chriſtianos effuſis excellenter confirmavit. Abluit quoque, quod nemo non ſcit, iam iam credulitatis, ſtoliditatis, & ſtupiditatis labem, Chriſtianis a gentilibus frivole aſperſam, CHRISTIANVS KORTHOLTVS, t) ut huic argumento non amplius inhiem. Utinam hic PEREGRINVS ſolus male decepiſſet Chriſtianos! At innumeri fere ex ſcholis SIMONIS MAGI, BASILIDIS, CARPOCRATIS, aliorumque haereticorum latebris prodierunt impoſtores, qui fictitiis uſi litteris, nihil non emolumenti & lucri a Chriſtianis receperunt, quorum fraudes ſine dubio in excitato loco expoſuit Paullus.

§. XLI.

Indicabimus ulterius illa ſacri Codicis oracula, in quibus litterae commemorantur *commendatitiae*. In fronte, praeter nonnulla effata, e quibus forte elici poſſet hoc argumentum, collocamus hoc oraculum: *Volente eo, (Apollo) in Achaiam proficiſci, fratres ad diſcipulos ſcripſerunt, hortantes, ut eum reciperent.* Actor. XVIII. 27. Apollo, vir orationis flumine & reconditae eruditionis penu inſtructus, ſed Judaeorum ſtirpe ortus, in Achaiam iter ſuſcepturus, hoc litterarum munimento erat inſtruendus, ut ab aliis fraterni amoris & hoſpitalitatis iure & emolumento mactaretur. Albo imprimis hic

s) vid. ej. Differt. Hiſtoric. Theolog. de Veritate Chriſtian. Religion. Philoſophor. gentil. obtrectation. confirmata. §. VI. p. 34.

t) vid. ej. Pagan. Obtrectat. Cap. X. & XI. p. 132. ſeq.

Digitized by Google

hic APOLLOS, Judaeus, ſignandus erat lapillo, quia Apoſtoli & doctores eccleſiae hac aetate a Judaeis ſibimetipſis cavere debebant. Pleraeque enim, quas Apoſtoli, & eorum legati, primo ſaeculo experti ſunt, vexationes a Judaeis ſunt ortae, qui magiſtratus ſeu praeſides provinciarum flectebant, & Acheronta quoque in exitium Chriſtianorum movebant. Acceſſerunt ad Chriſtianos, & fidem eorum praetendebant, eo fine & omine, ut Chriſtianorum explorarent & expiſcarentur arcana, ut Paullus ſcribit, Gal. II. 4. Διὰ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωνται. *Propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, ut nos in ſervitutem redigerent.* Incredibile ſane & dictu perdifficile eſt, quam immenſa plane opera Judaei Apoſtolos & omnes, qui nomen Chriſti ſunt profeſſi, primo aevo ſint perſecuti, adeo quidem, ut in univerſum terrarum orbem emiſerint epiſtolas de extinguenda Chriſti doctrina. Fidem nobis facit MOYNIVS, u) qui ex catena graeca, imprimis ex EVSEBII teſtimonio ad Jeſ. XVIII. 1. haec tradit: *In veterum ſcriptis invenimus eos, qui Hieroſolymae tum habitarent, Judaeos, imprimis ſacerdotes, ſcribas, & ſeniores, epiſtolas a ſe ſcriptas in omnes miſiſſe gentes, quibus Chriſti doctrinam, ut alienam a Deo & peregrinam, traducerent, iisdemque, eam ne admitterent, perſuadere conarentur.* Haud exiguum fuit, hic perditiſſimus Judaeorum conatus, religionis Chriſtianae promovendae impedimentum, quippe quo id effecerunt Judaei Apellae, ut Apoſtoli Jeſu in omni, quam attingebant, terrarum parte maxima experirentur rerum diſcrimina, horrendas videlicet calumnias, cruciatus, vincula, mortem. Ne igitur hic Apollos inter fideles timidiuſcule ageret, aut ipſi Chriſtiani ſuſpicarentur, illum aliquid monſtri alere, fideles, qui Epheſi degebant, hoc publicum fidei & integritatis mittebant ad fratres in Achaia teſtimonium, & hunc pereximium familiae Chriſtianae alumnum hac dimittebant ſymbola adauctum. Nullis ceteroquin hoc effatum laborat griphis, propterea illud mitto, & ad aliud huius, quod tracto, argumenti, me confero documentum.

M 2 §. XLII

u) vid. ej. Var. S. Tom. II. in Not. ad Polycarp. Epiſtol. p. 6. ſeq.

§. XLII.

Illuſtrius propemodum hoc, quod nunc ex epiſtola ad Romanos eſt delibandum, nobis videtur oraculum, quod litterarum *commendatitiarum* uſum excellenter confirmat. En verba ipſa: *Συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν, οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς, ἵνα αὐτὴν προσδέξησθε ἐν κυρίῳ ἀξίως τῶν ἁγίων, καὶ παραστῆτε αὐτῇ, ἐν ᾧ ἂν ὑμῶν χρήζῃ πράγματι. Καὶ γὰρ αὕτη προστάτις πολλῶν ἐγενήθη, καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ. Commendo autem vobis Phoeben, ſororem noſtram, quae eſt in miniſterio eccleſiae, quae eſt Cenchreae, ut eam ſuſcipiatis in domino, digne ſanctis, & aſſiſtatis ei, in quocunque negotio veſtri indiguerit; etenim ipſa quoque aſtitit multis & mihi ipſi. cap. XVI. com. 1. 2. Phoebe* ſpectatae fidei, pietatiſque mulier, quae *Cenchreenſis* eccleſiae diaconiſſis procul dubio eſt aſſocianda, fidelibus apud Romanos de meliori commendatur nota. Appellatur *διάκονος*, ſeu diaconiſſa, quo nomine illae inſignitae ſunt ſexus ſequioris perſonae, quae vel erant virgines pudicae & illibatae, vel viduae, vel uxores, quae, viventibus adhuc maritis, carnis commercio & matrimonio nuncium mittentes, ſe Deo conſecraverant. Ita vero conſtitutiones Apoſtolicae tradunt: *Διακόνισσα δὲ γινέσθω παρθένος ἁγνὴ, εἰ δὲ μήγε, κἂν χήρα, μονόγαμος, πιστὴ καὶ τιμία. Diaconiſſa vero eligatur virgo pudica, ſin minus, ſaltem vidua; unius quondam viri uxor, fidelis & digna bonore.* x) Cl. LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS y) tradit, GREGORIVM matrem ſuam *Nonnam μύσιδα* ſeu ſacris initiatam appellaſſe, eo videlicet nomine, quod marito ad epiſcopatum evecto, & carnis commercia eiurante, ſe quoque ſacro miniſterio addixerit, & amplexibus coniugalibus miſerit nuntium. Inde factum eſſe putat, ut uxores religioſae, & votivae coniuges nomen uxorum non amplius retinuerint, ſed ſororiam receperint appellationem. Non inanem venari mihi videtur Magnif. MOSHEIMIVS z) opinionem, qui hoc inſtitutum, quo & mariti & uxores ſe mutuo ſubtraxerunt commercio, e PLATONICORVM deduxit principio. E PLATONICORVM ſententia, illi diis arctius coniungi

x) vid. Conſtitut. Apoſtol. Lib. VI. cap. XVII. p. 348. apud Patr. Apoſt. Vol. edit. Cotel. conf. B. Ziegleri lib. de diaconis & diaconiſſis Vet. eccl. 1678.

y) vid. ej. Anecdot. Graec. Epigr. LXXXI. p. 79. ſeq.

z) vid. ej. commentar. de turbata per recentior. Platonic. Eccleſ. ſ. L. p. 46.

Digitized by Google

iungi credebantur, qui corpus fame ſubigebant, & coniugium fugiebant. Hac praepedita Platonicorum opinione infecti, primis ſaeculis & mulieres & mariti coniugium effugiebant, ita quidem, ut uxores, eiurato carnis commercio, ſe rebus ſacris in eccleſia obeundis dicarint, quae deinceps nomen *Diaconiſſarum*, quin & *Preſbyterarum* & *Epiſcoparum*, teſte CASALIO, a) receperunt. Hoc mutuo & tenero ſe invicem complectebantur Chriſtiani amore, ut ſe fratres ſororesque compellarent, quo inſigni nomine τῆς ἀδελφῆς adornat PAVLLVS PHOEBEN. Qui ritus deinceps paganis de promiſcua Venere cavillandi dedit argumentum, a quo vitio Chriſtianos ſolide liberavit B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS. b)

§. XLIII.

At ſi dicendum, quod res eſt, ſequiorum ſaeculorum, de quibus agimus, mores maxime improbandos eſſe arbitramur. Maximas enim haec conſuetudo, qua uxores coniugium & rem familiarem repudiarunt, & ſe rebus ſacris in Eccleſia peragendis addixerunt, excitavit turbas, cavillationes & deſuetudines. Deus, matrimonii auctor, per Apoſtolos coniugium non deſtruxit, ſed confirmavit, quod Epiſtolae 1. Cor. VII. 10. Epheſ. V. 22 1. Timoth. II 15. ſolide confirmant. In eam vero deinceps turpitudinis notam his ſaeculis nempe *tertio* & *quarto* homines Deo ſacri, miniſtri eccleſiae, quin & nonnulli Epiſcopi ſunt prolapſi, ut alerent Συνεισάκτους, ſeu *cointroductas* foeminas, inde nomen & *ſyniſactarum*, & *agapetarum* exortum eſt. Nimirum haec nova, ſed futilis, in complures horum ſaeculorum homines Deo votivos inceſſit religio, qua ſibimetipſis perſuaſerunt, nullam ex impudicis & illicitis amplexibus ſequi impudicitiam & turpitudinem, ſed animorum tantum, non autem corporum, ſuam, quam obſervabant, concordiam eſſe appellandam. Inde tam puro, ſcilicet, ſe amarunt amore, ut virgines votivae cum maſculis prope dormirent, & in uno lecto cubarent. Hinc illae St. CYPRIANI ad POMPONIVM lacrymae: *Poſtulas, ut tibi reſcribamus, quid nobis de iis virginibus videatur, quae, quum ſemel*

a) vid. de Veter. Sacr. Chriſtianor. ritib. cap. XXIX. p. 123. ſeq.

b) vid. Lib. de Vit. & Morib. Chriſtian. primaev. per gentilium malitiam afflictis, cap. X. §. XLII. p. 136.

ſemel ſtatum ſuum continenter & firmiter tenere decreverint, deteſtae ſint poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus unum diaconum eſſe dicis, plane easdem, quae ſe cum viris dormiſſe, confeſſae ſunt, aſſeverare, ſe integras eſſe. c) Mitto TERTVLLIANVM, GREGORIVM NAZIANZENVM, CHRYSOSTOMVM, & alios patres, qui hoc contubernii cum virginibus cacoethes & ſalſe & ſolide transfodiunt. Uti vero mala negligenter curata, in alium eumque non raro pernicioſiſſimum tranſeunt morbum, ita haec peſſima concubinas alendi conſuetudo, ſequioribus ſaeculis tam longe lateque eſt graſſata, ut ſalaces Romanae eccleſiae monachi, publica libidinum ſuarum inſtrumenta foverent, & illa, nonniſi graviter in conciliis admoniti, dimitterent. Recruduit poſtea hoc ulcus, quum ne Pontifices quidem ſanctiſſimi ſe propter coelorum regnum caſtrare voluerint, ſeque viros eſſe, ad ruborem usque demonſtrarint. Quod crimen in PAVLLO SAMOSATENO, muliercularum comitatu ſemper ſtipato, prolixe commemorat EVSEBIVS. d) Invaluit haec peſſima vivendi ratio, ut Epiſcopi & Presbyteri ſeſe aliarum uxorum & viduarum adiungerent commercio, cum ipſis viverent, & pergrinationes inſtituerent, quod RVFINVS in conſortio MELANIAE, nobilisſimae mulieris, fecit, ſed HIERONYMI, ut prolixius tractat JVSTVS FONTANINVS, e) non effugit cenſuram. Cui deſuetudini iam obicem poſuit Concilii NICAENI canon tertius, his quidem verbis: *interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Preſbytero, non diacono, nec alicui omnino, qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas, quae ſuſpicionem effugiunt.* f) Pereruditam huius argumenti commentationem nobis reliquit LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS g), qui pro more illud feliciter exhauſit, ut B. SALIGIVM h) omittam. At ad circulos noſtros

c) vid. Epiſtol. IV. p. 7. edit. Oxon.
d) vid. ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. VII. Cap. XXX. p. 114. ſeq.
e) vid. ej. Hiſtor. Aquileyenſ. Lib. IV. Cap. I. p. 159.
f) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. p. 323.
g) vid. Diſquiſit. l. de Syniſactis & Agapetis p. 218. ſeq.
h) vid. de Diptych. Vet. Cap. XV. §. VIII. ſeq. 302. ſeq. conf. Röhrenſei, Profeſſ. quondam Wittenberg. celeber. diſſert. de mulieribus Clericorum συνεισάκτοις. edit. 1703.

noſtros revertimur, demonſtraturi, quam PHOEBE ſuſtinuerit provinciam. Res eſt indubitata, huius conditionis diaconiſſam fuiſſe PHOEBEN apud Cenchreenſes. Rem putaverim eſſe ſatis planam, quum Apoſtolus hanc PHOEBEN appellet *διάκονον*, & notae, quas in eligendis diaconiſsis Paullus 1. Timoth. V. 9. 10. requirit, ſatis aperte in illa offendantur. Fuit enim *προςάτις*, patrona, & nutrix pauperum, ut poſtea edocebimus. Utrum vero virgo adhuc fuerit, an uxor, & ex ſtylo eccleſiae ſoror, quae vitae ſe ſubtraxerit coniugali, iam non diiudicamus, illorum tamen, cum CALMETO, i) repudiamus ſententiam, qui illam Paulli uxorem quondam, nunc vero ſororem, fuiſſe temerarie adſerunt. Ne veritatis quidem micam haec habet perſuaſio, dum PAVLLVS PHOEBES commendat beneficia in ipſum collata, quam diu apud Cenchreenſes vixerit. Titulus ceteroquin ſororum inter coniuges haud inſolens fuit, ut 1. Corinth. IX. v. 5. legimus: *μὴ ὐκ ἔχομεν ἐξυσίαν, ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόςολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τῦ κυρίυ καὶ Κηφᾶς. Num non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, ſicut & ceteri apoſtoli, & fratres domini & Cephas?* Quod argumentum eleganter diluit HENRICVS SCHARBAV. k)

§. XLIV.

Commendatur, quod reliquum eſt, tanquam *προςάτις* ſeu *Patrona*, quia videlicet manus ipſi apoſtolo & aliis fidelibus tulerat auxiliatrices, & vel ſuas opes in Chriſti ſodales & eccleſiae uſum contulerat, vel curam peregrinorum geſſerat, quam notionem vocis *προςάτις* LVDOVICVS de DIEV, l) IACOBVS ELSNERVS m), HVGO GROTIVS, n) CHRISTOPHORVS WITTICHIVS o) & B. JO. CHRISTOPH. WOLFFIVS, p) nobis ſubminiſtrant. *προςάται* enim in republica Athenienſium in ſenſu generaliori fuerunt cauſarum patroni & defenſores, quo nomine AELIANVS, *Hy-*

per-

i) vid. ej. Op. Comment. Tom. VIII. ad h. l. p. 143.
k) vid Obſerv. P. I. Obſ. XV. de ſororio coniugum titulo, p. 196.
l) vid ej. animadverſ. S. ad h. l. p. 697.
m) vid. ej. Obſervat. ſacr. in N. T. Tom. II. ad h. l. p. 67.
n) vid. Critic. Anglic. Tom. IV. ad h. l. p. 2825.
o) vid. ej inveſtigat. h. epiſtol. ad Roman. ad h. l. p. 625. edit. Lugd. Batav.
p) vid. ej. Cur. Philolog. ad h. l. p. 287.

perboli, Cleophontis & Demadae καίτοι προςατῶν γενομένων, *licet defenſores fuerint in republica, parentes ignorari*, ſcribit. q) In ſenſu vero ſtrictiori προςάται fuerunt inquilinorum ſeu μετοίκων patroni & tutores. Quo enim Athenienſes advenis, qui in ſua republica ſedes quaerebant, de ſecuritate proſpicerent, conſtituerunt προςάτας, ſeu urbis miniſtros, quibus inquilini nomen ſuum profeſſi ſunt, & certum aliquod, pro praeſidio & ſede, tributum quotannis ſolverunt, ut illorum praeſidio & fide, omni tempore, ratione, & loco fruerentur, quem Athenienſium ritum perapte annotavit JO. POTTERVS. r) Videtur mihi haec Athenienſium ratio accedere ad illa urbium inſtituta, ex quibus advenae & novitii incolae, qui ſedem fixam & ius civitatis non habent, ſed domicilium, pro rerum ſuarum conditione, mutant, & ſe in tutelam civitatis tradunt, certam nihilominus pecuniae ſummam magiſtratui pro tutela quotannis reddere aſſolent. Qui vero clanculum in ſocietates publicas ſe immittunt, neque civium albo adſcribuntur, nedum aerario publico illud tributum annuum numerant, tutela non fruuntur, ſed in rerum ſuarum diſcrimine omni praeſidio & beneficio προςασίας merito excidunt. Quam προςάσιας provinciam in primitiva eccleſia ſuſtinuerunt diaconi & diaconiſſae, quibus cura pro peregrinis gerenda erat demandata. Diaconis in prima eccleſiae Chriſtianae ætate hoc officii genus fuiſſe demandatum, nunquam non ſatis laudandum Apoſtolorum in eligendis & conſtituendis ſeptem diaconis conſilium, cuius ratio Act. VI. 1. ſeq. commemoratur, uberius confirmat. Sociam autem ſacris his in officiis operam tulerunt mulieres & virgines, quarum pietas ſatis erat cognita. Satis honeſtis, & rei Chriſtianae adprime rerum proficuis perfunctae ſunt, quas dixi, diaconiſſae, muneribus, quorum ratio, ſi ſacra ipſarum conſideras munia, ad tria potiſſimum referenda eſt officia. *Primum* eſt inſtitutio catechetica, qua ſexum ſequiorem ſacris Chriſtianorum initiandum, primis fidei Chriſtianae principiis & formulis in baptiſmo recitandis, ſedulo inſtruxerunt, cuius rei documentum nobis adhibet Concilium *Carthaginenſe* quartum, s) cuius canon XII. hanc diaconiſſis imponit curam: *Viduae vel ſanctimoniales,*

q) vid. ej. Var. hiſtor. Lib. XII. cap. XLIII. p. 798. edit. Gronov.
r) vid. Archaeolog. Graec. Vol. 1. Cap. X. p. 55. & 56.
s) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I p. 979.

ales, quae ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructae ſint ad officium, ut posſint apto, & ſano ſermone docere imperitas, & ruſticas mulieres, tempore, quo baptizandae ſunt, qualiter baptizatori interrogatae reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant. Alterum, quod diaconisſis in primitiva eccleſia obeundum fuit, munus, eſt unctio, quam peregerunt, ne verecundae corporis partes in unctionis ritu denudandae oculis diaconorum libere obiicerentur conſpiciendae, & voluptatum excitarentur illecebrae. Eum prorſus in finem in Conſtitutionibus Apoſtolicis t) haec leguntur relata: *Diaconiſſa, ſiquidem foemina ad multos uſus indigemus. Ac inprimis quidem cum baptizantur mulieres, diaconus tantum earum frontem unget oleo ſancto, & poſt, diaconiſſa eas illinet: non enim opus eſt, ut foeminae aſpiciantur a viris.* Quae conſtitutio tam plana eſt & pervia, ut mearum non duxerim eſſe partium, GVIL. BEVEREGII u) & MATTH. BLASTARIS ad eiusdem expoſitionem adferre commentationes. *Tertium* miniſterii diaconisſis peragendi locum occupat cuſtodia, quam ad fores & limina templi agere ſolebant, quorſum IGNATIVS x) reſpicit, quando ita ſcribit ad Antiochenos: *ἀσπάζομαι τὰς Φρουροὺς τῶν ἁγίων πυλώνων, τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους: ſaluto cuſtodes ſanctarum portarum in Chriſto, diaconiſſas.* Eandem rem confirmant conſtitutionum Apoſtolicarum conditores, qui ita decernunt y): *Diaconiſſa non benedicit, ſed duntaxat ianuas cuſtodit.* Pateſcit ex hoc canone, diaconiſſas quondam veſtibulorum geſſiſſe curam, & foeminis accedentibus aſſignaſſe locum, quin & ipſis, quo omnia ex ordine & pie peragerentur in eccleſia, praefuiſſe, ſed poſtea, uti BALSAMON & ZONARAS z) ex Canone XI. Concilii LAODICENI colligere ſatagunt, ob arrogantiam hoc officio fuiſſe privatas. His ſacris negotiis acceſſit officium minus ſacrum, quod in cura pauperum & maxime aegrotarum mulierum conſiſtebat, cuius provinciae meminit Conſtitutio, quam appellare conſuevimus, Apoſtolica a). Satis nunc de diaconiſſarum officiis dictum eſt, praeſertim quum non deſint viri, quos inter ſunt LVDOVICVS THOMASSINVS b) & JO. PHILIP.

t) vid. Conſtitut. Apoſtolic. Lib. III. Cap. XV. p. 287. ſeq. Cotelerii Pat. Apoſtolor. Vol. 1. u) vid. Syndic. Canon. Apoſtolic. & Concil. Vol. 11. in Beuregii Annotat. p. 118. ſeq.

x) vid. Patr. Apoſtolicor. Vol. II. in Epiſtol. ad Antiochen. p. 112. edit. Coteler.

y) vid. l. c. Lib. VIII Cap. XXVIII. p. 411.

z) vid. Synod. Vol. I. ad h. Can. p. 458. a) vid. l. c. Lib. III. Cap. XV. p. 287.

b) vid. de V. & Nov. Eccleſ. Diſcipl. Tom. I. Part. I. Lib. III. Cap. L. p. 786. ſeq.

ODELEMIVS c), qui hoc argumentum dextre expoſuerunt. Num vero PHOEBE his omnibus ſuam operam praeſtiterit negotiis, non diiudicamus, quia credibile non eſt, eccleſiam Cenchreenſem ea, qua vixit Phoebe, aetate, iam ita fuiſſe comparatam, ut diaconiſſae omnes, quas diximus, officii partes obire potuerint. Licet autem titulus *διακόνου*, quo PHOEBEN mactavit Paullus, illam multum iuvare potuerit, adiecit tamen nomen *προστάτις*, ut demonſtraret, PHOEBEN non ſolum diaconiſſae munere in eccleſia egregie defungi, ſed & tam inſignem & aſſiduam omnium piorum agere curam, ut patrona & mater ſit appellanda, quae ſuis opibus advenas & egenos pie aleret. Quid igitur aequius erat, quam illi parem reponere calculum, & hoc illuſtre mulierum decus honeſto dignari hoſpitio. Sententiam noſtram de hoſpitiis ſacris extemplo confirmamus canone XIII. concilii CHALCEDONENSIS, qui ita fluit: *Clerici, qui praeficiuntur ptochiis, vel qui ordinantur in monaſteriis & baſilicis martyrum, ſub epiſcoporum, qui in unaquaque civitate ſunt, ſecundum ſanctorum patrum traditiones, poteſtate permanent, nec per contumaciam ab Epiſcopo ſuo diſſiliant.* d) Innuit hic canon, ſecundum illorum temporum eccleſiaeque Chriſtianae conſuetudinem, exſtructa fuiſſe Ptochotrophia, ſeu domus hoſpitales, receptacula pauperum, & aſyla pupillorum, aegrotorum, & hominum adverſa ſorte confligentium, quibus praefecti fuerunt ſacerdotes & clerici, ut illorum, qui in hanc ſe receperant tutelam, agerent curam. Duplex illis incubuit provincia, altera animae, altera corporis reſpectu. Utraque cura primitivae eccleſiae proceribus haud perfunctorie videbatur tractanda. Ne exules, aegroti & advenae, qui per impedimenta publicos conventus adire non poterant, ſpirituali carerent pabulo, diaconi & *προστασίας* ſacrae miniſtri ſunt conſtituti, qui rerum ſacrarum inſcios hoſpitesque inſtituerent, infirmos & in ſana doctrina parum firmos confirmarent, & miſeros ſuo reficerent auxilio. Pari cura etiam circa alimenta & medicamenta his miniſtris erat vigilandum, ne neceſſariis vitae humanae alendae & conſervandae deſtituerentur adiumentis. Inde aediculae & domicilia ad hoſpites recipiendos paſſim ſunt conſtructa. Quem morem nunquam non laudandum hodie quoque obſervant Romanenſes, quorum ex inſtitutis omnibus, cuius demum cunque fuerint religionis, aegrotis & advenis hoſpitalitatis beneficium in ſuis monaſteriis ad ſtatum aliquod in regulis ſui ordinis tempus haud denegatur. §. XLV.

c) vid. Ej. diſſertat de Diaconiſſis primitivae Eccleſiae. Lipſ. 1700.
d) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. II. p. 603.

§. XLV.

Itura itaque ad Romanos PHOEBE, hanc Paulli receperat epiſtolam, in qua ſub calce fidelibus, qui Romae degebant, de meliori commendatur: *recipite illam in domino, ἀξίως τῶν ἁγίων: ſicut ſanctis dignum eſt.* Pauca circa horum verborum ſenſum addere arridet. Scite obſervant BEAVSOBRIVS & INFANTIVS, haec verba duplicem ſuſtinere ſenſum; unum, ſicut decet, ſanctos recipere advenas; alterum, ſicut dignum eſt ſanctis peregrinis, e) ſeu *modo & ratione* digna ſanctorum perſonis. Utraque expoſitio textui vim haud infert. Sanctos enim oportet, quin immo decet, peregrinos ſuae fidei profeſſores peramanter recipere. At veritati haud abſimile videtur, ſi excellentius & benignius aliquod hoſpitalitatis intelligamus genus, quo illi imprimis digni erant, qui ſancti & de republica chriſtiana optime meriti aeſtimabantur. Conſentientem habeo hoc in argumento St. CHRYSOSTOMVM, qui hunc, quem tractamus, locum his illuſtrat commentationibus: *ἵνα αὐτὴν προσδέξησθε ἐν κυρίῳ ἀξίως τῶν ἁγίων: Τȣτέςι διὰ τὸν κύριον, ἵνα τιμῆς ἀπολαύσηται παρ' ὑμῖν. ὁ γὰρ διὰ τὸν κύριον δεχόμενος, κἂν μὴ μέγαν τινὰ δέξηται, μετὰ σπουδῆς δέχεται. ὅταν δὲ καὶ ἁγία ᾖ, ἐννόησον, ἡλίκης αὐτὴν ἀπολαῦσαι δίκαιον θεραπείας, διὰ τȣ̃το προσέθηκεν, ἀξίως τῶν ἁγίων, ὡς δεῖ τοῖς τοιȣ́τοις ὑποδέχεσθαι, διπλῆν γὰρ ἔχει ἀφορμὴν τȣ̃ θεραπευθῆναι παρ' ὑμῶν, καὶ τὸ διὰ τὸν κύριον δεχθῆναι, καὶ τὸ αὐτὴν ἁγίαν εἶναι. Ut illam ſuſcipiatis in domino, ita ut decet ſanctos. Hoc eſt, propter dominum, ut honore potiatur apud vos. Nam qui propter dominum ſuſcipit, etiamſi non magnum quempiam ſuſcipiat, diligenter tamen ſuſcipit. Quum autem illa ſancta etiam eſſet, perpende, quanta fuerit habenda ſolicitudine & cura. Propterea & adiicit, ita ut decet ſanctos, ut decet eos, qui tales ſunt, ſuſcipi, nam duplici nomine a vobis curari debet, primo, quod Chriſti eſt, ut Chriſtus in ea ſuſcipiatur: deinde, quod & ſancta eſt.* f) Urget itaque ſanctus CHRYSOSTOMVS hanc *Phoebes* pietatem, ob quam ſingulari ſtudio erat a Romanis recipienda. Quod ſingulare hoſpitalitatis beneficium Concilium CHALCEDONENSE, ut poſtea demonſtrabo, perſonis dignitate & meritis claris aſſignavit. Merito inſigniori amoris & pietatis documento bene de eccleſia merentes erant excipiendi, quos inter in eccleſia Cenchreenſi non ultimum occupavit locum PHOEBE, foemina fide virtute & pietate ſatis illuſtris.

e) vid. le. Nouv. Teſtam. Tom. II. Epitre de S. Paul aux Rom. Chap. XVI. v. 2. p. 81. f) vid. ej. Op. Commentar. in Paul. Epiſt. Tom. I. Homil. XXX. ad h. loc. p. 311. edit. Pariſ.

§. XLVI.

Ceteroquin provida Paulli cura, qua Phoebes opera in emittendis literis ad Romanos uſus eſt, laude non caret. Recte enim obſervat laudatus FERRARIVS g), tabellariorum munere non niſi eccleſiaſticos viros in primitiva eccleſia eſſe perfunctos. Quin & ipſi Apoſtoli in ſuis epiſtolis plerumque ipſorum, quibus hanc provinciam tradiderant, tabellariorum faciunt mentionem, quo eccleſiis de apoſtolorum conſtaret conditione, neque hae ipſae in detrimentum eccleſiarum interciderent epiſtolae. Circumſpecte proinde Apoſtolis in exarandis & emittendis litteris erat agendum, & viris aut mulierculis de re chriſtiana optime meritis hoc negotium tradendum Paullus duxit. Quantum ex Epiſtolae ad Romanos capitibus I. v. 10. XV. v. 24. colligimus, inierat Romanos ſalutandi, & illos in fide corroborandi conſilium, ſummoque flagrarat illos coram videndi deſiderio, ſed remoram ipſi divina iniecerat providentia, quae ipſi ampliſſimum in Achaia veritatem divinam diſſeminandi aperuerat campum. Oblatam nunc per Phoeben occaſionem ſatis tutam & commodam arripuit, & tanto maiori animi confidentia ad Romanos ſcripſit, quanto certior fuit de fide iam iam inter illos ſparſa, quia illuſtriores fidei Chriſtianae ſocios Cap. XVI. digitis indicavit. Phoebes fides & integritas ſatis explorata erat, inde ſine periculo has litteras ipſi deferendas tradere potuit Paullus. Adiiciendam in fine ſtatuit Paullus Phoebes commendationem, ut fideles, qui Romae commorabantur, Phoebes ſtudiis libenter inſervirent.

§. XLVII.

His ipſis litteris *commendatitiis* inſtructi TIMOTHEVS, STEPHANAS, FORTVNATVS & ACHAICVS, cum priori epiſtola ad Corinthios a Paullo ſunt emiſſi, ut 1. Corinth. XVI. 10. 11. & 15. 16. 17. 18. legimus relatum. Quibus addimus Marcum, qui litteras & mandata ad Coloſſenſes detulerat, & propterea benigne ab iis erat excipiendus, quod Paullus in laudata epiſtola ad Coloſſ. IV. 10. ſedulo inculcat. Quae excitata dicta tanta radiant luce, ut mea non indigeant commentatione. Tota porro epiſtola Paulli ad *Philemonem* data eſt *commendatitia*, qua fugitivus & ſubdolus ONESIMVS iam nunc per fidem multum mutatus ab illo, Philemoni commendatur, quod prolixe demonſtravit B. JO. FECHTIVS. h) Rediturus ad ſuum dominum, a quo furti ſeu commiſſi damni ergo aufuge-

g) vid. l. c. p. 188. h) vid. ej. S. Paulli epiſtolae ad Philemon, tanq. Chriſt. Charitat. Ideae expoſition. edit. 1696.

fugerat, ONESIMVS litteris commendatitiis erat augendus, ne periculum incurreret. Enarrat in hac, de qua agitur, epiſtola Paullus fidem, quam amplexus erat Oneſimus chriſtianam com. 10. *genui illum in vinculis meis.* Tradit intenſiſſimum, quo hunc Oneſimum complectitur, amorem; com. 12. Commendat eius integritatem in obeundo ſervitio ſibi praeſtito, com. 11. Serio tandem adhortatur Paullus Philemonem, ut Oneſimum libere & amanter recipiat, non amplius ut ſervum, ſed fratrem, qui nunc ad pileum vocatus, fraterni inter fideles amoris nota eſſet dignus, com 16. Verba huius epiſtolae in ſe tam plana ſunt & pervia, ut illa illuſtrare idem eſſet, ac ſoli lucem accendere. Tota denique tertia epiſtola St. Joannis eſt *commendatitia*, qua omnes fideles ad beneficium hoſpitalitatis libere exercendum ſedulo admonentur, ea tamen, ut in II. Epiſtol. v. 10. legimus, lege & omine, ut advenae, quam ab Apoſtolo hauſerant, adferrent διδαχὴν ſeu doctrinam. Inprimis DIOTREPHES diaconus eccleſiae ſatis aſperum ſeſe oſtenderat St. Joanni, & maleferiatum, qui non ſolum ipſe fratribus denegarat hoſpitalitatis beneficium, ſed & ſuos auditores dehortatus erat, ne advenas fideles reciperent in hoſpitium, com. 9. 10. *Scripſi eccleſiae, ſed amans primatum gerere ipſorum Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc ſi venero, ſubmonebo eius opera, quae facit, verbis malignis garriens, in nos, & non contentus in his, neque ipſe ſuſcipit fratres, & volentes probibet, & de eccleſia eiicit.* Qualis & quantivis pretii fuerit hic DIOTREPHES, prolixe quidem demonſtravit B. ITTIGIVS i), ſed gratis Haereſiarchis annumeravit, quem ſecutus eſt B. JO. BENED. CARPZOVIUS k) aliique viri, *Bedae* forſitan iudicio ſeducti. Haud conſtitutum eſt, noſtros tranſilire limites, & fuſius de hoc DIOTREPHE eiusque dignitate agere, quum hoc argumentum a laudato HEVMANNO ad unguem ſit exaſciatum, cui aſſentimur omni ex parte, quippe qui argumentis ſatis firmis demonſtravit, hunc DIOTREPHEN, *neque haereticum*, l) *neque urbis praeſidem* m), *neque denique epiſcopum* eccleſiae n), ſed diaconum & bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratorem fuiſſe, qui tamen in alendis advenis & peregrinis nimis parcus & moroſus extitit. o) Nulla proinde veritatis ſpecie ſe tuetur CALMETI p) ſententia, qua DIOTREPHES

i) vid Diſſertat. de Haereſiarch. Aevi apoſtol. p. 86.
k) vid. ej. Erev. Commentat. in Epiſtol. Ioan. III. §. 22. p. 208.
l) vid. ej. Commentar. in Ioan. Apoſtol. Epiſt. III. p. 17. ſeq. edit. Götting. 1742.
m) vid. l. c p. 19. n) vid. l. c. p. 18. o) vid. l. c. p. 20.
p) vid. ej. Op. Comment. Tom. VIII. ad h. l. p. 789.

PHES epiſcopus fuiſſe fingitur. Epiſcopi enim hoc in eccleſia primitiva ſuperſederunt labore. Certum itaque eſt, hanc officii demandati provinciam magis diacono, quam epiſcopo, reſpondere. Inde nullus huic ſubſcribere ſententiae dubito. Nihil ceteroquin hac primitivorum Chriſtianorum pietate, qua bonorum communitatem inter ſeſe aluerunt, & ſuis opibus egenorum ſublevarunt inopiam, nobis videtur illuſtrius & Chriſtiano nomine dignius. Laudamus ipſorum morem, quo, teſte Luca, omnia ſua bona diviſerunt, prout unusquisque opus habuit, & omnia habuerunt communia. Actor. cap. II. com. 43, 44. Quod inſtitutum deinceps ſaluberrima cepit incrementa, ubi certi diaconi, qui viduarum & pauperum agerent curam, & ex aerario ſacro quotidiana egenis ſubminiſtrarent ſtipendia, ex Apoſtolorum decreto ſunt conſtituti, Act. VI. 1. 2. Quae bonorum, in primaeva Chriſtianorum eccleſia, communio res Chriſtianas feliciter iuvit, & inſignis mutui amoris & conſuetudinis fuit teſtis. Judicium igitur St. CHRYSOSTOMI q) de hac bonorum communione tanto viro adprime eſt dignum, quod ita fluit: *Καὶ πάντα εἶχον κοινὰ, πάντες δέ φησι. οὐχ ὁ μὲν, ὁ δὲ οὔ. τοῦτο πολιτεία ἀγγελίκη μηδὲν αὐτῶν λέγειν ἴδιον εἶναι. Et omnia habebant communia, omnes autem, inquit, non ille quidem habebat, ille vero non habebat. Haec erat angelica reſpublica, nihil dicere ſibi proprium eſſe.* Tam ſacra fuit Chriſtianorum reſpublica, qua propriam utilitatem eiurarunt, & omnes ſuas opes ad commune eccleſiae emolumentum contulerunt, angelos imitati, qui ſuaviſſima inter ſeſe gaudent communione. Qua de bonorum communione erudite egerunt B. SCHELGVIGIVS r) & ſ. vener. JO. LAVRENTIVS MOSHEIMIVS s) in calce huius argumenti merito excitandi. Nec obelo notandus eſt ſ. r. JO. GEORG. WALCHIVS t), qui pro eo, quo valet in argumentis & theologicis & hiſtoricis explanandis, iudicio, eleganter & dextre demonſtravit, magnum inter Pythagoraeorum & Platonicorum & Chriſtianorum bonorum communionem eſſe conſtituendum diſcrimen, quum vivendi & agendi Chriſtianorum ratio a ſapientum ſupra laudatorum inſtitutis, qua fontem, & finem huius benignitatis, toto differat coelo. Hic itaque pedem figo, & in altera huius commentationis parte ad hiſtoriae eccleſiaſticae progredior, de litteris communicatoriis commmendatitiisque, documenta.

PARS II.

q) vid. ej. Op Comment. in N. T. Tom. II. ad h. loc. Actor. p. 500. edit. Pariſ.
r) vid. ej. Diſſertat. de Commun. bonor. Ged. 1717. s) vid. ej. Diſſert. de vera natura communitatis bonor. inter primos Chriſtian. Helmſtaedt. 1725.
t) vid. Obſ. in N. T. Libr. ad. Ait. II. 44. Obſ. VII. p. 61. Part. I.

Digitized by Google

PARS II.
HISTORICO-ECCLESIASTICA.

§. XLVIII.

Excuſſis nunc illis, quae ſacer potiſſimum Codex protenſa nobis obtulit manu, argumentis, iisque non ex rei quidem dignitate, ſed inſtituti ratione, nec non modulo ac pede noſtro delibatis, meditatio noſtra in Antiquitatis ſanctioris & Hiſtoriae eccleſiaſticae documenta eſt transferenda. Nulla prorſus nobis eſt dubitatio, quin multa nobis occurrant teſtimonia, quae ut introſpiciantur penitius, adprime rerum digna aeſtimantur. Praeclara, & laudis encomio haud privanda ſunt, quae offendimus, primitivae eccleſiae ad ineundam & conſervandam omnium fidelium unionem, inſtituta, a primaevis Chriſtianis bene ac ſapienter inita. Quo enim demonſtratum darent eccleſiarum proceres, omnes eccleſias in diverſis terrarum tractibus diſſeminatas, unam tantum agnoſcere matrem, a cuius gremio, commercio, & praeſidio neutiquam eſſent divellendae, communitatem cum omnibus, imo remotiſſimis, ſervarunt eccleſiis, quas una mater tanquam filias agnoſceret. Ea ſane eſt eccleſiae verae ratio, quae eſt fontis, e quo multi emanant rivuli, & decurrentes ſe iterum in ſuam effundunt ſcaturiginem. Quae eccleſiae unitas, cum ex mutuo particularium eccleſiarum nexu, tum ex ſuavi diverſorum eccleſiae membrorum ſocietate, arctiſſimaque omnium, quotquot verae eccleſiae dederunt fidem, Chriſtianorum coniunctione ſatis belle apparet. Eccleſiarum particularium ſi conſideras vincula, doctrinae, quam tenebant, unitate nihil eſt illuſtrius, excellentiusque. Quae ab apoſtolis acceperant ſanctioris doctrinae arcana, unanimi conſenſu receperunt, propagarunt enixius, & propugnarunt tenacius. Nulla neque Orientalis, neque Occidentalis eccleſia, illa aetate, aliquem dignitatis & excellentiae affectavit prae altera titulum, ut verum dixeris illud *Curtii: Firmiſſima eſt inter pares amicitia, & videntur pares, qui non fecerunt periculum virium.* Duravit haec dulcis totius eccleſiae unio usque ad ſaeculum ſecundum, nec ullis, quae paſſim exortae ſunt, circa ritus & caerimonias eccleſiaſticas, ſoluta eſt patrum diſſenſionibus.

Victor

*) vid. Lib. VII. Cap. VIII.

Digitized by Google

Victor, Romanae eccleſiae epiſcopus, primus eſt, qui haec unionis diſſecuit vincula, & veluti poma natare deſideravit. Res ad examen in conciliis & ſynodis propoſitae, ad alias remotas delatae ſunt eccleſias, quin imo facinora albo lapillo notanda, ad notitiam aliarum eccleſiarum per litteras communicatorias pervenerunt, ut omnes eccleſiae, quae particulari acciderunt, fata ſive proſpera ſive ſiniſtra, reſciſcerent. Bene ſe res haberet, ſi haec unio eccleſiae in eccleſia Proteſtantium eſſet rediviva, quam in uſum revocatam eſſe, & valide quidem florere, contendit MATTH. LARROQVANVS. b) Altera huius unionis ratio, ipſos eccleſiae Chriſtianae cives attingit. Diverſi nominis, diverſorumque locorum homines ad Chriſtianorum acceſſerunt civitatem, quorum omnino ratio erat habenda, illique certis quaſi notis & ſignis, ut ab aliis diſcernerentur, erant notandi, quo appareret, quid diſtent aera lupinis. Inter ea unionis, quae GVIL. CAVEVS c) & cl. JO. GEORG. PERTSCHIVS d), uberius tradunt ſigna, praeter ſolemne fratris nomen, & amoris mutui oſculum, haud poſtremum occupant locum litterae & *communicatoriae*, & *commendatitiae*, quarum uſum tam homines dignitate ſacra non ornati, quam miniſtri ordini ſacro adſcripti, in rebus agendis perceperunt. Ad utrumque Chriſtianorum genus pium hoc ſpectavit inſtitutum, quia homines plebeii ob unionem omnium Chriſtianorum hoc emolumento neutiquam erant defraudandi. Ea enim eſt ſocietatum publicarum natura & conditio, ut omnes uni ſocietati addicti, in opera conferenda & fructu percipiendo, pari fruantur iure. Monuiſſe tamen iuvabit, teſte FERRARIO d), *tres* olim in eccleſia viguiſſe communionis formas, *communionem* videlicet in convictu, *communionem* in precibus, & *communionem* in ſacramento. Nemo non videt, hos communionis gradus inter ſe differre, ſummumque unionis faſtigium eſſe, ſi vel homini peregrino plebeio, vel etiam ordinis ſacri ſocio, ad ſacram euchariſtiam, cum illis, quos ſalutavit, Chriſtianis accedendi data eſt facultas. Utraque igitur, & totius eccleſiae, & omnium membrorum, unio nunc mihi erit tractanda prolixius. Ne vero extra orbitam prolabi videar, eum tenebo ordinem, ut *primo* de litteris communicatoriis, quae ad eccleſiam ſpectabant, agam, & hoc

b) vid. Conformite de la Diſcipline Eccleſiaſt. des Proteſtantes de France avec celle des Anciens Chretiens. Chap. ſixieme: de l' union des Egliſes. p. 158. a Rouan. M DCLXXVIII. c) vid. Primaev. Chriſtianiſm. Part. III. Cap. II. p. 474. ſeq.
d) vid. Hiſt. Eccleſiaſt. ad Sec. II. Cap. V. §. XXXVI. p. 165. ſeq.
e) vid. l. c. Lib. I. Cap. VII. p. 40.

hoc argumentum illuſtri Smyrnenſium epiſtola de St. POLYCARPI martyrio uberius explicabo. *Porro* ad litteras communicatorias vel clericis vel laicis ad fidei teſtimonium datas me conferam. Exponam *ulterius* diſcrimen harum litterarum, quae in communicatorias diſpeſcuntur & commendatitias. *Tum* penitius harum litterarum originem & aetatem indagabo. Enucleabo *deinceps* illarum uſum, nec praeteribo earundem emolumentum, quod eccleſiae praeſtiterunt, admodum inſigne. Demonſtrabo *denique*, quam vana ſint & levia, quae inde petunt Romanenſes de viſibili eccleſiae capite, & unione cum Romana ſede tenenda, praeiudicia. Dabo igitur vela antrorſum. Stabo nunc promiſſis, & illuſtre litterarum communicatoriarum, quae in uſum totius eccleſiae vergebant, in ſcenam producam documentum, nec ſolum adducam, ſed uberiori quoque donabo luce.

§. XLIX.

Excellens huius rei documentum offendimus in epiſtola *Smyrnenſium* de St. POLYCARPI martyrio, ad alias, quae nomen Chriſtianum profeſſae ſunt, eccleſias, paſſim conſtitutas, emiſſa, quam nobis exhibet IOANNES BAPTISTA COTELERIVS. Actum haud agam, ſi hanc epiſtolam examini ſubmiſero, & ad oculatam fidem demonſtravero, illam litteris primitivae eccleſiae communicatoriis, ad propagandam fidem, & unionem inter omnes eccleſias, hinc & inde diſſitas, declarandam, recte annumerari. Equidem non dubito, fore nonnullos, qui me in iudicium vocaverint, quod hanc Smyrnenſium epiſtolam primo poſuerim loco, quum CLEMENTIS & PII primi litterae encyclicae illa ſint aetate maiores, praeſtantioresque; ſed horum ſcrupulum paucis diſſolvam, ubi laudatam epiſtolam, quae palmam prae omnibus, quotquot adferunt Romanenſes, fert, accuratius enodavero, & argumentis, variis dubiis & gryphis laborantibus, auxiliatrices attulero manus. De ipſa hac, quam ſub iudicium mittimus, Smyrnenſium epiſtola nullum exquiſiti & limati iudicii viris eſt dubium, quin illa ſit genuina. Ex ipſo vero argumento planum eſt, hanc Smyrnenſis eccleſiae epiſtolam appellandam eſſe communicatoriam. *Primo* conſideranda eſt inſcriptio, quae noſtram confirmat ſententiam. Illa ita fluit: ἡ ἐκκλησία τȣ̃ Θεȣ̃, ἡ παροικȣ̃σα Σμύρναν, τῇ ἐκκλησίᾳ τȣ̃ θεȣ̃, τῇ παροικȣ́σῃ ἐν Φιλαδελφίᾳ, καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας

 καὶ

καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις, ἔλεος, εἰρήνη, καὶ ἀγάπη ἀπὸ θεȣ̃ πατρὸς, καὶ τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ πληθυνθείη. *Eccleſia Dei, quae habitat Smyrnam, Eccleſiae Dei, quae Philadelphiae eſt, & omnibus ubique terrarum ſanctae & catholicae eccleſiae paroeciis, miſericordia, pax, & caritas a Deo patre, & domino noſtro Jeſu Chriſto multiplicetur.* f) Habes hic illuſtre litterarum encyclicarum, quae a cyclo, circulo, & orbe nomen traxerunt, teſte FERRARIO g) exemplum. Operae pretium duxerunt *Smyrnenſes*, triſtiſſimum, quod ipſis acciderat, fatum, eccleſiae Philadelphienſi & omnibus hinc & inde diſſitis annunciare parochiis, quibus cum ſumma fidei unione erant iuncti, praeſertim quum Philadelphienſes huius martyrii hiſtoriam a Smyrnenſibus anxie petierint. Illuſtris eccleſiae *Smyrnenſis* praeſul, St. POLYCARPVS, omnium propemodum in Aſia praeſulum coryphaeus & epiſcopus longe fideliſſimus, acerbum mortis ſubierat ſupplicium, quo ipſo eccleſia Chriſtiana maximam perpeſſa erat iacturam. Haud ignotus fuit reliquis in Aſia eccleſiis S. POLYCARPVS, cuius epiſtola, ad PHILIPPENSES data, adhuc apud *Cotelerium* proſtat. Sugillant BLONDELLVS, DALLAEVS, & MOYNIVS, qui ultimam partem ſuppoſitam eſſe putant, huius epiſtolae fidem auctoritatemque, quam tot muniti teſtibus, IRENAEO, EVSEBIO, HIERONYMO, PHOTIO & aliis, ſolide vindicarunt JO. PEARSONIVS, h) TILLEMONTIVS, i) du PINIVS, k) NICOLAVS NOVRRIVS l) & AVGVSTINVS CALMETVS m) At non ſine fundamento laudati viri ad hanc deducti ſunt perſuaſionem, qua quidem non omnem fidem huic epiſtolae detraxerunt, ſed illam novis tantum acceſſionibus auctam eſſe crediderunt.

§. L.

Nemo id inficiabitur, ſi attentius hiſtoriam POLYCARPI, ab incerto quodam PIONIO compilatam, legerit. A veritate haud alienum eſt, multa, eaque quandoque fabuloſa, ſucceſſu temporis eſſe addita, ad augendam in praelectione huius hiſtoriae, in corona ſacra, populi

f) vid. laud. S. S. Patr. Apoſtol. Volum. II. p. 193.
g) vid. Lib. II. Cap. IV. p. 109.
h) vid. ej. Vindic. Epiſtol. S. Ignat. Cap. VI. p. 25. Cantabridg.
i) vid. Memoires Eccleſiaſtiq. Tom. Sec. prem. part. Notes ſur ſaint Polycarpe. Not. II. & III. p. 564.
k) vid. Nouvell. Biblioth. Aut. Eccleſiaſt. Tom. I. p. 51.
l) vid. Apparat. ad Biblioth. P. P. M. Tom. I. Diſſert. VIII. Art. II. p. 161. ſeq.
m) vid. Hiſtoire univerſelle Tom. V. Lib. LV. §. LXXV. p. 27.

Digitized by Google

populi admirationem. Quod hiſtoriola de columba facile confirmat. Levis eſt ceteroquin diſceptatio a variante EVSEBII lectione enata. EVSEBIVS, de hac, quam tractamus, epiſtola, haec tradit: ἔςι δὲ ἡ γραφὴ ἐκ προσώπυ, ἧς αὐτὸς ἐκκλησίας ἡγεῖται, ταῖς κατὰ πόντον παροικίαις τὰ κατ' αὐτὸν ἀποσημαίνυσα διὰ τύτων. *Eſt autem epiſtola eccleſiae illius, quam Polycarpus regebat, nomine ad eccleſias Ponti ſcripta, quaecunque Polycarpo acciderant, exponens.* n) Verba itaque πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον reddidit EVSEBIVS πάσαις. ταῖς κατὰ πόντον, *omnibus Ponti eccleſiis.* Aſt emendavit iamiam HENRICVS VALESIVS o) hunc hiulcum & mutilum EVSEBII locum, & ex tota inſcriptione epiſtolaeSmyrnenſis edocuit, legendum eſſe κατὰ πάντα τόπον παροικίαις, quia in inſcriptione eccleſiarum Ponti nulla fit mentio, neque PHILOMELIVM eſt urbs Ponti, ſed LYCAONIAE, ſeu, ut SCHELSTRATIVS obſervat, p) PISIDIAE, cui adſtipulatur cl. GOTTL. WERNSDORFFIVS q) filius, qui tanti nominis implet menſuram. Novum diſſidii argumentum ſuggeſſit EVSEBII lectio, quae pro PHILADELPHIA habet PHILOMELIVM, ἡ ἐκκλησία τῦ Θεῦ, ἡ παροικῦσα Σμύρναν, τῇ παροικύσῃ ἐν Φιλομηλῷ. Inprimis hic obſervamus, EVSEBIVM ſtatim mutare ſtylum, & addere: καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας ἐκκλησίας παροικίαις, *& omnibus ubicunque terrarum ſanctae & catholicae eccleſiae populis.* Expreſſe hic legitur τόπος, facili ergo negotio vitium antea ab EVSEBIO, aut ab amanuenſi admiſſum, emendatur. Porro attentius nomen PHILOMELII pro PHILADELPHIA poſitum contemplamur. Conſpirare videntur omnes Critici, & huius epiſtolae commentatores, qui PHILOMELIVM adoptant. COTELERIVS r) tradit, hoc nomen in EVSEBIO & latino interprete occurrere, quod planum eſt. At ſi antiquiſſima huius epiſtolae indagamus & evolvimus exemplaria, *Philadelphia* legitur, quae lectio mihi haud repudianda videtur. Nam arctiſſimum procul dubio fuit, quod PHILADELPHIENSES cum Smyrnenſi eccleſia coluerunt, commercium, quum hae eccleſiae uno aevo in Aſia floruerint. Non ad ſuppoſititias forte St. IGNATII provoco

 epi-

n) vid. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. IV. Cap. XV. p. 128.
o) vid. ej. Annotat. ad h. Euſebii loc. p. 68.
p) vid. ej. Eccleſiaſt. Tom. II. in append. Oper. Geograph. p. 701.
q) vid. ej. ſing. libr. de republ. Galat. Cap. V. Geograph. p. 231. edit. 1743.
r) vid. l. c. p. 2.

Digitized by Google

epiſtolas, ſed ad Joannem, s) Jeſu teſtem longe praeſtantisſimum, qui has Aſiaticae eccleſiae primitias, easque ſatis illuſtres, nobis ob oculos ponit. Non igitur is erraverit, qui adſeruerit, has eccleſias mutuum inter ſeſe aluiſſe litterarum commercium, & Philadelphienſes, quod in fronte epiſtolae Smyrnenſium legimus, huius inſignis martyrii deſideraſſe acta. Confirmat ſententiam urbis Philomelienſis ſilentium, cuius nomen demum in conciliis, ſerius habitis, videlicet CHALCEDONENSI, CONSTANTINOPOLITANOQVE occurrit. Statuimus, his moti cauſis, hanc PHILOMELIENSIVM eccleſiam hoc aevo minoris adhuc fuiſſe coetus, neque tam intima cum Smyrnenſibus iunctam familiaritate. Accedit, quod ipſi Smyrnenſes in laudem Philadelphienſium haec addiderint: *Τοιαῦτα τὰ κατὰ τὸν μακάριον Πολύκαρπον, ὃς σὺν τοῖς ἀπὸ Φιλαδελφίας δωδέκατος ἐν Σμύρνῃ μαρτυρήσας. baec de beato Polycarpo, qui cum iis, qui ex Pbiladelpbia, duodecimus, Smyrnae martyrium paſſus.* t) Quod martyrum documentum optime conſpirat cum Ioannis vaticinio: *ἰδοὺ μέλλει βαλεῖν ἐξ ὑμῶν ὁ διάβολος εἰς φυλακὴν, ἵνα πειρασθῆτε, ecce iam futurus eſt iacere ex vobis diabolus in cuſtodiam, ut tentemini.* Apocal. II. 10. Indefinitum ponit St. JOANNES martyrum numerum, quam rationem alibi obſervat Chriſtus, quando triſtisſima commilitonibus annunciat fata, adſerendo: *καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενεῖτε καὶ σταυρώσετε, καὶ ἐξ αὐτῶν μαστιγώσετε. Et ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagellabitis.* Math. XXIII. 34. Frequens ſatis eſt haec apud Graecos ellipſis, qua vocula *τὶς* ſubintelligitur, ut ſenſus huius effati ſit *τινὰς ἐξ ὑμῶν, aliquos ex vobis*, cuius rei exempla Marc. II. 21. Act. XXI. 16. ſunt obvia, ut alia, quae attulit LAMBERTVS BOS, u) ſilentio involvam.

§. LII.

Ne vero arrodere videar EVSEBII, eorumque, qui eius veſtigia ſequuntur, ſcriptorum fidem, putaverim, EVSEBIVM ſine dubio exemplar aliquod Philomelienſis eccleſiae de hac Smyrnenſium epiſtola eſſe nactum, & illam retinuiſſe inſcriptionem. Quum enim certo ſit certius, ut ſupra dixi, hanc epiſtolam ex voluntate & mandato Smyrnenſium ad omnes Aſiae & ubique disſitas eccleſias eſſe

s.) vid. Apocal. cap. I. II & III.
t) vid. l. c. ʃ. XIX. p. 201.
u) vid. ej. Ellipſ. Graec. Nomin. ad h. v. p. 195. ſeq.

eſſe miſſam, x) quin imo *Italiam*, *Galliamque* attigiſſe, vix dubitaverim, quin adſeram, eccleſiae ſeniores titulum PHILADELPHIAE mutaſſe, & adieciſſe nomen PHILOMELII, ut appareret primo ſtatim obtutu, hanc de martyrio epiſtolam circularem Philomelienſium eccleſiae eſſe vindicandam, non quidem a Smyrnenſibus ad illam ſolam exaratam, ſed a vicinis eccleſiis tranſcriptam, & illi veluti depoſitum aliquod transmiſſam. Titulus enim huius epiſtolae aeque ac ſubſcriptio variat, eo quidem, me iudice, nomine, ut indicetur, ad quam eccleſiam epiſtola ſpectaret, & a quo ſit deſcripta & transmiſſa, quod ex calce huius epiſtolae facili coniectura colligitur. y) Hac ratione EVSEBII lectio conciliatur, & omnis naſſa inde enata ſcite tranſfoditur, a qua ſententia non recedit TILLEMONTIVS. z) Confirmatur itaque hac lectione, *κατὰ πάντα τόπον*, *ubique terrarum*, noſtra ſententia, ad omnes Aſiae eccleſias & piorum coetus emiſſam eſſe a Smyrnaeis, de martyrio St. POLYCARPI, epiſtolam. Inde recte appellatur epiſtola circularis, quae circulatim ad omnes eccleſias eſt transmiſſa, quem ritum PETRVS HALLOIXIVS prolixe tradit. a) Suffragatur HALLOIXIO MOYNIVS b) & non ſine cauſa ſuſpicatur, huius epiſtolae tantam fuiſſe auctoritatem, ut in *Galliam* usque penetrarit, quod ingens proderet exemplarium numerus, & acta paſſionis in GALLIA, BVRGVNDIA, & ARVERNIA die POLYCARPI emortuali in ſacro conventu praelecta.

§. LII.

Ominatur *ſecundo* haec epiſtola Smyrnenſium unionis & ſocietatis vinculum, dum in fronte ſuavem compellationem *ἀδελφῶν* ſeu fratrum legimus. Ille titulus fratris, quantum ex 1. Cor. V. 11. intelligimus, fuit amicitiae teſſera: *Si quis, qui frater appellatur, impudicus eſt, aut avarus, aut idololatra, aut conviciator, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiusmodi homine ne cibum quidem capiatis.* At hoc ipſo, cui multa oracula ſacra adiici poſſent, effato Paullino antiquius & illuſtrius eſt illud, quod ex ore Chriſti profluxit, mandatum: *At vos nolite vocari Rabbi, unus enim eſt doctor veſter Chriſtus, vos vero omnes eſtis fratres.* Math. XXIII. 8. Conſociavit itaque Chri-

 ſtus

x) vid. l. c. §. XX. p. 201. y) vid. l. c. §. XXII. p. 202.
z) vid. Memoir. Hiſtoriq. T. II. Part. II. Not. VI. ſur S. Polycarpe p. 578.
a) vid. Oriental. eccleſ. ſcriptor. in Vit. Polycarp. Cap. XIII. p. 58. & ſeq.
b) vid. ej. Var. ſacr. Tom. I. Prolegom.

Digitized by Google

ſtus hoc nomine omnes, qui ipſi fidem eſſent daturi. Nullum enim vinculum ad coniungendos fideles omnes, nullumque ornamentum, quo gaudere poſſent Chriſti aſſeclae, hoc fraterni amoris titulo fuit illuſtrius. Ex tam dulci omnium fidelium concordia, maximae gentilibus enatae ſunt criminationes, & turpiſſimae de promiſcuis amplexibus, ſtupris & rebus dictu nefandis, conviviis inceſtuoſis, epuliſque Thyeſteis, cavillationes, quas tamen his rationibus *Chriſtianis* feliciter abluit MINVTIVS FELIX. *Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentiae ac modeſtiae ſigno facile dignoſcimur. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odiſſe non novimus; ſic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohaeredes.* c) Referam huius unionis a Chriſtianis initae conditiones, quas nobis enarrat PLINIVS: *Convenire videlicet Chriſtianos ſtato die, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.* d) Quid PLINIVS nomine *Sacramenti* intelligat, mea ſententia, eſt ſatis perſpicuum & pervium. Vix huic verbo noſtro, quam de ſacramentis Theologi habent, imprimi affingique poterit explicatio. Scribit enim PLINIVS ad Imperatorem ethnicum, qui de ſacramentis Chriſtianorum nulla erat notitia inſtructus, nec dum illud ipſum verbum apud Chriſtianos communi uſu fuit receptum & uſitatum. Mihi proinde nulla eſt dubitatio, quin haec vox *ſacramenti*, neque de ſacramento baptiſmali, neque de iuramento ſolenniori, ſed de ſodalitii iuris formula ſeu pactione, qua ſe obſtrinxerunt ſodales, & uni ſocietati nomen dederunt, ſit interpretanda. Occurrit apud JVSTINVM ſingulare opinionis noſtrae documentum, quod ita fluit: *ſed trecenti ex iuvenibus, cum ſodalitio iure ſacramento quodam nexi ſeparatam a ceteris civibus vitam exercerent, quaſi coetum clandeſtinae coniurationis haberent, civitatem in ſe converterunt.* e) Saepe enim accidit, ut homines pactionem & ſocietatem aliquam ineant, & ſe ſacramento ſeu ſocia pactione ad certa inſtituta obſervanda offerant, nullo tamen praeſtito iuramento ſeu ſacramento. Nec credibile eſt, primitivos, de quibus

c) vid. ej. Octav. p. 35. ſeq. edit. Ouzel.
d) vid. Lib. X. epiſt. 97.
e) vid. lib. XX. cap. IV. p. m. 231.

Digitized by Google

bus haec ad TRAIANVM, quem appellant Optimum, ſcribit PLINIVS, Chriſtianos ſacramentum aliquod ſeu iuramentum popoſciſſe, & ſe invicem quotidie in conventibus ſacris ad illud adegiſſe, veritati vero ſimillimum eſt, hoc, de quo ſcribit PLINIVS, fuiſſe foederis mutui, & ſocietatis ſacramentum, vinculum ſeu pactionem aliquam, quam ſine praeſtito aliquo ſacramento ſeu iuramento uno ore inierunt. Videtur mihi St. JVSTINVS MARTYR f) haec Chriſtianorum inſtituta, quibus ſe invicem ſacramento obſtrinxerant, fuſius recenſere, quando, ut e multis pauca adferam, ſcribit: *Obſequuntur legibus, quae ſancitae ſunt, & ſuo vitae genere leges ſuperant. Amant omnes, & omnes illos perſequuntur. Ignorantur & condemnantur; morte afficiuntur, & vivificantur. Mendici ſunt, & multos ditant.* Perſequitur ibidem IVSTINVS MARTYR chriſtianorum primitivorum mores, quos obſervarunt, & veluti luna inter minora ſidera ſplenduerunt. Succurrit alius IVSTINI MARTYRIS locus, qui proxime ad hunc PLINII locum, & illa verba, *ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent*, accedit. *Non reluctari*, inquit, *oportet, neque imitatores eſſe malorum, vult Deus, ſed per patientiam & lenitatem omnes a probro & cupiditate malorum abducendos eſſe, adhortatus eſt. Quod ſane de multis etiam veſtrorum, qui nobiſcum fuere, probare poſſumus, qui ex violentis & truculentis, alii prorſus per mutationem morum evaſerunt, conſuetudine noſtrorum hominum victi, dum aut vicinorum conſtantiam vitae ſequerentur, aut comitum in via omnia inferiora habentium, & iniurias tolerantium, patientiam novam perſpicerent, aut fidem eorum in contractibus experirentur.* g)

§. LIII.

Hoc mihi, ſi quid in me eſt ingenii, videtur illud PLINII eſſe ſacramentum ſeu pactum, & vivendi agendique ratio, quam conſtituerunt Chriſtiani, ut tam illuſtri pietatis nota ſe ab omnibus aliis gentibus diſtinguerent, & illos, qui has ſocietatis regulas & inſtituta desererent, ex chriſtianorum albo expungerent, & hoc nomine prorſus iudicarent indignos. Hoc itaque ſacramentum fuit unionis & ſocietatis vinculum, & conditio ab omnibus chriſtianis arctiſſime tenenda. Sacramenti vero notio, qualis in rebus ſacris apud nos eſt, multo

f) vid. ej. epiſt. ad Diognet. p. m. 497.
g) vid. ej. apolog. II. p. m. 63.

Digitized by Google

multo eſt recentior, & vix credibile eſt, PLINIVM de ſacramento chriſtianorum baptiſmali haec ſcripſiſſe. Abſtergit ceteroquin Chriſtianis vitiligines B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS h) in tractatu, *de calumniis paganorum in veteres Chriſtianos ſparſis*. Tam tenero Smyrnenſes reliquos variarum eccleſiarum cives & inquilinos complexi ſunt amore, illosque hoc nuntio memoria digniſſimo, ob caritatis & unionis vinculum, defraudare ſibi duxerunt religioni.

§. LIV.

Argumentum huius epiſtolae communicatoriae, ſeu, ut ſcribere, amant Smyrnenſes, circularis, non eſt titivilitii, ſed maximi omnino momenti ponderisque. Commemorant Smyrnenſes inſidias ſancto POLYCARPO a diabolo ſtructas. i) Laudant promptisſimum eius ad martyrium ſubeundum animum, quo vix adigi potuerit, ut hoſtium inſidiis aliquo modo ad tempus cederet, ut potius obſirmato animo dixerit: *Oportet me vivum comburi.* k) Tradunt laudatae epiſtolae auctores, qua animi conſtantia, peractis pro tota eccleſia precibus, hoſtium manibus ſe ſubmiſerit, & quo pectore firmo, perſuaſiones, minas, inſultusque IRENARCHAE HERODIS repulerit, & bonam fidei chriſtianae ediderit confeſſionem. l) Enarrant, qua fide & patientia ipſum martyrium ſuſtinuerit, & laetus medios inter ignes conſederit, & dulcem pretioſorum aromatum odorem emiſerit. m) Non ſilentio involvunt rem admiratione dignam, quae tamen dubia eſt, evolaſſe nimirum e corpore columbam, & tantam ſanguinis vim profluxiſſe, ut ignem extingueret. n) Verba in ipſa Smyrnenſium epiſtola haec ſunt: ἐξῆλθε περιστερὰ, καὶ πλῆθος αἵματος, *egreſſa eſt columba, & magna vis ſanguinis*, ubi videlicet interfector pugionem capulo tenus inieciſſet lateri. Recte iam obſervavit COTELERIVS, o) neque EVSEBIVM, neque RVFINVM, neque alios ſcriptores, huius prodigii facere mentionem. Inde MOYNIO, p) & THOMAE SMITHIO, B. THOMAS ITTIGIVS

h) edit. Kilon. 1698.
i) vid. l. c. ſ. III. IV. p. 194.
k) vid. l. c. ſ. VI. p. 194.
l) vid. l. c. ſ. VIII. IX. X. XI. XII. p. 196. - 198.
m) vid. l. c. ſ. XIII. XIV. XV. p. 199.
n) vid. l. c. ſ. XVI. p. 200.
o) vid. Cotel. l. c. not. 86. p. 200.
p) vid. ej. Var. Sacr. Tom. I. Prolegomen.

Digitized by Google

GIVS q) facile ſuffragatur, legendum eſſe *ἐπ' ἀριστερᾷ*, *in ſiniſtra* parte. Senſus eſt: Adducto in corpus POLYCARPI pugione, ex laeva parte tanta ſanguinis profluxit copia, ut ignis extingueretur. Non inconcinne ſuſpicatur laudatus SMITHIVS, in ſcholiis ad St. POLYCARPI acta, forte a viro pio vocem *περιστερὰ* ad marginem codicis eſſe adiectam, ad amplificandam huius martyris famam, & alluſiſſe illum ad gentilium *ἀποθεώσεως* conſuetudinem, iuxta quam aquila ex accenſa pyra in coelum avolatura emittebatur, cuius rei documenta & nummos nobis exhibent SCHOTTVS, r) JOANNES BAPTISTA CASALIVS, s) & cl. EMON LVCIVS VRIEMOETVS in nummis DOMITIANIS. t) Quam hiſtoriolam de columba e POLYCARPI rogo evolante, ſolide infirmavit S. V. CHRIST. AVGVST. HEVMANNVS. v) Confirmat, meo judicio, laudatorum Criticorum ſententiam antiquiſsima ſcriptorum veterum conſuetudo, qua ipſis fuit uſitatum, libris ſuis picturas, imagines & figuras addere, quod demonſtratum ivit & multis edocuit documentis cl. CHRISTIANVS GOTTL. SCHWARTZIVS, u) vir de re critica optime meritus. Quum itaque Chriſtiani hunc Orientalium, nec non Graecorum, Romanorumque, pro temporum, locorumque ratione, quod innumera fere ab ARINGHO, FABRETTO, GRVTERO, aliisque propoſita tradunt monumenta, retinuerint ritum, prohabilitate non deſtituitur noſtra ſententia, forte columbam ad marginem eſſe depictam, eo potiſſimum temporis & loci tractu, quo martyrum monumenta, his ornamentis & ſymbolis fuerunt adaucta.

§. LV.

Addunt Smyrnenſes ſuam in POLYCARPVM pietatem, qua corporis combuſti exuvias & reliquias, renuentibus etiam gentilibus, & Judaeis, veluti gemmas ex igne collegerunt, & rite depoſuerunt. Exponunt ſimul fidem circa defuncti POLYCARPI venerationem,

P quem

q) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſ. Sec. II. cap. VI. p. 288.

r) vid. Explicat. Nouvell. de l' Apotheoſe d' Homere repreſentée ſur un Marbre Ancien p. 60. a Amſterd.

s) vid. de Urb. & Rom. Imper. Splendor. cap. XXII. de Apotheoſ. ſeu Conſecrat. p. 356.

t) vid. Ej. Obſerv. Miſcell. Lib. I. Cap. VII. ſſ. VII. p. 174. Leoward. 1740.

v) vid. Ej. Diſſertat. in Biblioth. Brem. Tom. III. p. 429. ſeq.

u) vid. Ej. Diſput. prima de ornament. libror. apud veteres uſitatis §. V. edit. Lipſ. 1705. conf. diſput II. §. IX. edit. 1706.

Digitized by Google

quem veluti diſcipulum, & imitatorem Chriſti diligendum, ſolum autem Chriſtum colendum ſtatuerent, x) quod argumentum nuper admodum fuſius a me expoſitum eſt. y) Deſtruxit quoque BARONII ratiunculas, ex hoc Smyrnenſium teſtimonio frivole confutas B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, z) evicitque, neque cultum ipſius St. POLYCARPI, neque reliquiarum adorationem exinde probari poſſe valide. Non praetereunt Smyrnenſes officii ſui rationem, qua diem POLYCARPI emortualem ſeu natalem celebrare, & ejus memoriam poſteris commendare ſatagunt. a) Claudunt tandem rivos, &, ob unionis ſocietatisque vinculum, petunt a Philadelphienſibus, ut hanc epiſtolam reliquis eccleſiis faciant notam. *Ac vos*, ſcribunt, *quidem petieratis, ut cuncta, quae geſta ſunt, fuſius vobis exponerentur. Nos vero impraeſentiarum ſummatim indicamus, per fratrem noſtrum Marcum. Quae quidem cum didiceritis, epiſtolam fratribus ulterius poſitis tranſmittite, ut & illi glorificent dominum, qui ex famulis ſuis delectum facit, poteſtque omnes nos gratia atque indulgentia ſua in regnum ſuum aeternum inducere.* b)

§. LVI.

Quo demum cunque latere hanc Smyrnenſium conſideras epiſtolam circularem, primo ſtatim oculo intelliges, illam maximi eſſe argumenti, cujus haud neſcii & expertes eſſe debebant Chriſtiani, aliis in locis degentes. Ingeritur hac ipſa epiſtola pura Jeſu doctrina & cultus ſoli Chriſto adhibendus, qui martyribus & brabeo inter coelites donatis ſanctis prorſus denegatur. Quod doctrinae caput illa aetate non erat negligendum, ne a veneratione in cultum divinum prorſus iniquum prolaberentur Chriſtiani, praeſertim, quum a Judaeis hujus ſuperſtitioſi cultus peſſime inſimularentur. Commendatur POLYCARPI fides & conſtantia, ad cujus exemplar ſuos mores omnes componere poterant fideles, quibus luctuoſiſſima martyrii fata quotidie imminebant. Excitatur denique fidelium pietas & ſtudium, quo Deo, ob tam ſingulare editum a S. POLYCARPO fidei

x) vid. l. c. §. XVII. XVIII. p. 200.

y) vid. exercitat. Anti-Trombel. Tom. I. P. I. exercitat. IV. p. 186. ſeq.

z) vid. ej. Diſquiſit. Anti-Baron. diſquiſit. VIII. p. 339.

a) vid. l. c. §. XVIII. p. 201.

b) vid. l. c. §. XX. p. 201.

fidei documentum, gratias agerent decentiſſimas. Laudanda proinde eſt haec litteras communicatorias emittendi conſuetudo, quae intimam totius eccleſiae chriſtianae unionem exponit. MATHAEVS autem LARROQVANVS c) ſupra laudatus, hac ex SMYRNENSIVM de St. POLYCARPI martyrio epiſtola, praeter unionem eccleſiae, etiam originem martyrologiorum deducit, quia, ex ejus ſententia, martyres non una tantum particularis, ſed tota eccleſia ſibi vindicare poteſt.

§. LVII.

Placuit, hanc Smyrnenſium epiſtolam orbicularem ſeu circularem accuratiori ſubmittere examini, quo eo melius de harum litterarum ritu conſtaret, & ſalebroſis nonnullis argumentis uberior accenderetur lux. Elegi potiſſimum epiſtolam, de cujus ueritate & auctoritate, inter viros eruditos, nulla vel levis ſaltem eſt dubitatio. Haud vero ignoro, FRANCISCVM BERNHARDINVM FERRARIVM, magni aeſtimare CLEMENTIS litteras, de actis divi Petri encyclicas, nixum Epiphanii d) teſtimonio: *Sunt*, inquit, *& alii libri, quibus utuntur, veluti Petri Circuitus a Clemente conſcripti, quo in libro paucis veris relictis cetera ſuppoſuerunt: quemadmodum Clemens ipſe omnibus illos modis redarguit iis epiſtolis circularibus, quae ab eo ſcriptae in ſacroſanctis eccleſiis leguntur. Ex quibus conſtat, longe ab iis, quae in Circuitibus illis ſub ejus nomine adulterina extant, illius fidem ac ſermonem abhorruiſſe. Etenim virginitatem Clemens edocuit, iſti repudiant: ille Eliam, Davidem, & Sampſonem omnesque prophetas commendat; Ebionitae deteſtantur.* In haec EPIPHANII verba ita commentatur FERRARIVS: e) *Ex his Epiphanii verbis conſtat manifeſte, & plures fuiſſe Clementis encyclicas, & diverſas plane ab iis epiſtolis, quas nunc Clementis nomine editas habemus, Jacobo nimirum Julio, ac Juliano Hieroſolymitanis atque epiſcopis demum omnibus inſcriptas.* Diſceptatio eſt de litteris CLEMENTIS Romani encyclicis,

P 2 pro-

c) vid. conformite de la diſcipline eccleſiaſtique des Proteſtants de France avec celle des Anciens Chretiens, Chap. V. Art. XXXIII. En chacun Egliſe on dreſſera memoires de toutes choſes notables pour le fait de la Religion p. 156. ſeq. a Rouen 1678.

d) vid. Ej. Op. Tom. II. Lib. I. Haereſ. XXX. p. 139.

e) vid. l. c. p. 110.

Digitized by Google

proinde, concertationes de CLEMENTIS epiſtolis ad Corinthios, & recognitionibus, aliiſque ſcriptis, inter DALLAEVM, DODWELLVM, & PEARSONIVM exortas, ne primis quidem digitis mihi attingendas eſſe video. Id ſolummodo adferendum erit, dubium, fallaxque eſſe FERRARII de reliquis CLEMENTIS epiſtolis circularibus indicium, ab EPIPHANIO depromtum. Quam credulus fuerit EPIPHANIVS, notum eſt. Eſto; pervolaſſe litteras ſub nomine CLEMENTIS compilatas primitivae eccleſiae coetus circulares; ſagacioris tamen ingenii viri illis nunquam adhibuerunt fidem, ſed dolum ſat cito olfecerunt. PHOTIVS f) pro eo, quo fuit judicio admodum acuto, non quidem negat, extitiſſe librum itinerum ſeu actuum Petri, ſed alio a CLEMENTE ſcriptum, & ſub hoc nomine evulgatum, attamen profitetur: *refertum eſſe hoc opus abſurdis nugis, non ſine plurimis ex Arii opinione in filium blaſphemiis.* Otia mihi fecerunt limatioris ingenii viri non ultimi loci, quos inter ſunt IOANNES ERNESTVS GRABIVS, g) Du PINIVS, h) FABRICIVS i) & OVDINVS, k) ut alios patrum indagatores praeteream. Quid? quod FRANCISCVS PAGIVS l) ad noſtras tranſit partes, & de his litteris circularibus tam cordate ſentit: *Praeter duas epiſtolas, quinque aliae ſub S. Clementis nomine circumferuntur, quarum duae priores ſunt ad Jacobum, fratrem Domini, tertia ad omnes epiſcopos, presbyteros & fideles, quarta ad Julium & Julianum, quinta ad Hieroſolymitanos, ſed cum illae omnes tanquam ſuppoſititiae ab eruditis rejiciantur, ſicuti & decem libri recognitionum, itinerarium S. Petri, diſputatio ejuſdem Apoſtoli cum Appione, & liturgia, quae eidem Clementi adſcribuntur, de iis, utpote jam ab omnibus rejectis & damnatis, agere ſuperfluum & inutile judicamus, de quibus legendus idem Natalis Alexander laudatus.* Hilo proinde vix dignas aeſtimavi has epiſtolas CLEMENTIS circulares, neque dubio praefractoque tramite oberrare, & nugas, ſuppoſititiasque epiſtolas veris admiſcere volui, ſed litterarum communicatoriarum aliquod documentum adferendum eſſe

f) vid. Ej. Biblioth. de Clemente Roman. p. 290.
g) vid. Spicileg. Patr. Tom. I. Secul. I. p. 77. ſeq.
h) vid. N. Bibliotheque des Aut eccleſiaſt. T. I. de S. Clement. p. 32.
i) vid. Ej Codic. Apocryph. N T. p. 759.
k) vid. Tom. I. Commentar. de ſcriptor. Sec. I. cap. V. p. 45.
l) vid. Ej. Breviar. Pontif. Romanor. T. I. in vit. Clementis p. 11.

Digitized by Google

eſſe duxi omni exceptione majus. Praeterii itaque has CLEMENTIS, PII primi, & alias, quae ſubleſta laborant fide, epiſtolas. Revocemus nunc gradum.

§. LVIII.

Uti vero optime cogitata ſaepe peſſime cadunt; ita hic litterarum communicatoriarum uſus ſucceſſu temporis degeneravit in abuſum, & foeda inde martyrum ſanctorumque veneratio eſt enata, & per totum orbem diſperſa. Ubi enim ſuavior molliorque rerum facies affulſit Chriſtianis, ipſorumque res per CONSTANTINVM M. fuerunt pacatae, de natalitiis martyrum ſplendide & pancratice cogitarunt Chriſtiani celebrandis. Ut igitur hi feſti ſanctorum martyrum dies, quos appellarunt natalitia, redderentur illuſtriores, ſolemne fuit Chriſtianis, litteras ad exteras emittere eccleſias COMMVNICATORIAS, quibus ceteros Chriſtianos de re gerenda redderent certiores, & illos ad feſtorum invitarent ſolemnia. Sine dubio hanc conſuetudinem a Graecis receperunt Chriſtiani. Graecis enim in more fuit poſitum, ut in feſtis & ludis publicis habendis per ludorum praefectos ſeu procuratores litteras ad exteras mitterent gentes, easque ad inviſendos ludos invitarent, ut eſſent tanto illuſtriores. Cauſa hujus rei inprimis fuit ſocietas cum aliis populis colenda, & retinenda, quam tradit his verbis STRABO: *Hoc*, inquit, *ergo modo intelligitur, quomodo & urbes conditae fuerint, & publica ſacrificia ſuam habuerint exiſtimationem. Etenim & civitates inter ſe & gentes conveniebant, cum natura ad communicationem factae, tum utilitatum invicem percipiendarum gratia. Iisdem de cauſis & ad ſacrificia communia feſtosque dies & ſolemnitates celebrandas coibant. Ad amicitiam quippe conducit, quicquid a menſae contuberniique proficiſcitur communitate; quod quanto majus eſt, & quanto per plures pervagatur, tanto etiam majore cum utilitate conjunctum habetur.* m) Perſcrutatus eſt POTTERVS, Anglicanus, pro eo, quo fuit in eruendis gentilium arcanis & delibandis rerum antiquiſſimarum griphis ingenio longe ſagacisſimo & exquiſitisſimo, harum litterarum communicatoriarum in feſtis celebrandis cauſas, quae huc potiſſimum redeunt. *Prima* eſt, ut ſacrificia imo laudes propter beneficia in omnes & ſingulos mortales gentemque ſuam

 collata

m) vid. lib. I. c. IX. p. m. 642.

collata diis adhiberentur, & publico ritu perſolverentur. *Secunda*, ut Deorum Dearumque gratiam ſibi conciliarent, eosque ad ſubminiſtranda nova beneficia ſibi redderent propitios & amicos. *Tertia*, ut memoria virorum, de republica optime meritorum, pie recoleretur. *Quarta*, ut hoc intervallo laboribus interponendo, gaudio perfunderentur mortales, & populorum disſitorum animi ſuavi quodam vinculo conjungerentur. n)

§. LIX.

Conſideraturi nunc primitivorum Chriſtianorum circa martyrum natalitia conſuetudinem, neminem forte habebimus diſſentientem, Chriſtianos hoc in argumento Graecorum ſecutos eſſe inſtitutum. Inde THEODORITVS CYRENSIS hoc non negat, ſed Graecis Philoſophis, qui martyrum natalitia ſummis excipiebant honoribus, regerit: *Pudet ea me referre, quibus olim Graeci ſolemnitates dicarunt. Atqui nos, ô graeci homines, nec hoſtias martyribus nec libamina ulla deferimus, ſed ut ſanctos homines Deique amiciſſimos honoramus. Tanto enim honore creatorem Deum generisque humani vindicem ſunt proſecuti, ut amabile illis fuerit, pro accepta ſemel religione, jugulum percuſſori porrigere.* o) Omnem movit THEODORITVS lapidem, ut hanc Chriſtianorum in martyres pietatem & ſtudium ad ſalutem converteret, & omnem Graecorum Philoſophis adimeret cavillandi occaſionem. Repudiat Graecorum inſtitutum, quo iis, qui pro patria occubuerant, victimae & libamina offerebantur, & Deorum adſcribebantur albo; & ex adverſo probat, his cultus officiis Chriſtianos ſuos in natalitiis non proſequi martyres, ſed eos tanquam homines, (non Deos) Deo acceptos honorare, & illorum praedicare memoriam. Quae honoris nota ipſis multo magis, quam paganis eſſet deferenda, quum hi leve aliquod patriae praeſtiterint beneficium, & non veri Dei, ſed ſuam gloriam ſint venati; illi vero, martyres videlicet, ob Dei creatoris amorem & Chriſti obſequium extrema quaevis perpeſſi ſint ſupplicia. Hactenus Chriſtianorum inſtitutum laude non caret. Obbruteſcente vero deinceps ſub Romanorum praeſulum auſpiciis non ſane feliciſſimis popello, putatitii divi Petri ſucceſſores, & ut vocari amant, Chriſti vicarii, martyrum ſanctorumque

n) vid. Archaeolog. Graec. Vol. II. Chap. XIX. of the Cuſtoms before Enterments p. 365. ſeq. a Lond.

o) vid. de Curat. graec. affect. Lib. VIII. p. 617.

rumque feſtis exteros homines ad frequentandas ſolemnitates litteris paciſque libellis ſeu indulgentiis invitarunt, ut fuſius tradunt cl. PETRVS MORETTVS, Baſilicae S. Mariae Canonicus, p) & HENRICVS SPONDANVS. q) Singulare quoque hujus rei documentum de reliquiis St. FRAMBALDI SILVANECTENSIS, ad cujus mortalitatis exuvias viſendas, LVDOVICVS VII. Francorum Rex, literis mandatiſque publicis invitavit ſubditos, nobis adſervavit PHILIPP. LABBEVS, r) quod hunc ritum ſatis confirmat. Promanarunt deinceps innumera horum natalitiorum vitia ex eccleſia Chriſtiana prorſus eliminanda, comeſſationes, compotationes, nundinationes & civiles & eccleſiaſticae, impudicae ſaltationes, & alii deteſtandi ritus, quos nuper admodum dedimus confutatos. s) Excuſſimus itaque, quantum ſcopi & inſtituti noſtri permiſit ratio, primam harum litterarum communicatoriarum rationem. Paucis nunc alteram harum litterarum ſpeciem adhuc ſumus pertractaturi.

§. LX.

Acturi jam de his litteris communicatoriis ſeu pacificis, quibus inter primitivos Chriſtianos ſocietas erat augenda, & ſororio vinculo confirmanda, prorſus negligimus illas litteras Epiſcoporum dimiſſorias, quibus epiſcopi ſuum jus in ordinandis clericis in alios epiſcopos transferebant, de quibus ſolide agunt LVDOVICVS THOMASINVS t) & IO. CABASSVTIVS u) & illuſtris BOEHMERVS, x) qui harum litterarum uſum in noſtra eccleſia rarum eſſe affirmant. Intentatas quoque jam relinquimus litteras Epiſcopi ſummi *commonitorias* ſeu *memoriales*, quibus ſuos nuntios adauget, & epiſtolas *tractatorias*, quibus de viatico & vehiculis Praelatis ad Synodum ituris eſt proviſum. Hujus generis litterae magis in gratiam, & emolumentum Clericorum, quam fructum totius eccleſiae Chriſtianae ſunt datae, & pleraeque ſaeculi quarti tranſiliunt limites. No-

ſtra

p) vid. lib. de ritu oſtenſionis Sacr. Reliq. §. LXXII. p. 126. Rom. 1721.

q) vid. ej. annal. eccleſiaſtic. ad ann. Chriſti LVIII. §. XXXVIII. p. 102.

r) vid. ej. Nov. Biblioth. manuſcr. Lib. Tom. II. p. 560. edit. Pariſ.

s) vid. exercitat. Anti-Trombel. Tom. I. P. II. Exercitat. IX. de uſu & abuſu convivior. ſ. natalitior. p. 301. exercit. X. de ritibus Bacchicis, p. 309.

t) vid. Vet. & Nov. Eccleſ. deſcript. Tom. II. P. II. Lib. I. cap. V.; §. IV. V. p. 12. edit. Luc.

u) vid. Notit. eccleſiaſt. Sec. II. diſſert. VII. §. 5. p. 33.

x) vid. ej. jus eccleſiaſt. Proteſtant. Tom. I. Tit. XIII. §. IX. & X. p. 474.

Digitized by Google

ſtra meditatio inprimis illas attingit litteras, quae in uſum omnium fidelium olim ſunt adhibitae, quo Chriſtiani in alienas remotasque emigrantes terras, his fidei teſſeris muniti, peramanter a Chriſtianis in ſacrorum commercium reciperentur, & ipſorum opibus, ſi ita tulerit ratio, aliquo modo ſublevarentur.

§. LXI.

Uſus harum litterarum communicatoriarum ex ipſis eccleſiae chriſtianae incunabulis repetendus, in eccleſia Chriſtiana duplex fuit: *alter*, ut fidei chriſtianae nota, *alter*, ut hoſpitalitatis eſſent teſſera. Res ubi Chriſtianorum creſcerent, cura fuit eccleſiae praeſulibus adhibenda, ut Chriſtiani ab aliis, qui ſe hoc nomine ſubdole adornarunt, caute diſcernerentur, & patefieret, quid diſtent aera lupinis. Chriſtiani enim in diverſis terrarum ditionibus latitantes, & ad alias regiones proficiſcentes, inprimis hoc ſymbolo & teſſera fidei erant mactandi, ut ab aliis eccleſiis in ſocietatem & unionem reciperentur. Accedit triſtiſſima, quae hoc inſtitutum ſuaſit, temporum conditio, qua lapſi a confeſſoribus & martyribus deſignatis acceperant pacis libellos, ſeu litteras communicatorias, ut in eccleſiae chriſtianae, ſine gravi poenitentiae onere, admitterentur communionem. Nullum mihi prorſus eſt dubium, quin huc ſpectet concilii ELIBERTANI canon XXV. qui ita fluit: *Omnis, qui attulerit litteras confeſſionis, ſublato nomine confeſſoris, eo quod omnes ſub hac nominis gloria paſſim concutiant ſimplices, communicatoriae ei dandae ſunt litterae.* y) Suffragatur omni ex parte huic canoni *Arelatenſis* concilii canon IX. *de his, qui confeſſorum litteras afferunt, placuit, ut, ſublatis eis literis, accipiant communicatorias.* z) Res luce meridiana eſt clarior, hos canones inprimis tangere lapſos, qui martyrum & confeſſorum expetiverunt pacis libellos ſeu litteras communicatorias, ut eccleſiae chriſtianae, a qua vel idololatria, vel ſtupro & adulterio, vel furto, homicidio vel denique alio crimine peſſime receſſerant, ſine gradibus moleſtae ſatis poenitentiae obſervandis, extemplo aſſociarentur. Male hic martyrum deſignatorum auſus habuit epiſcopos, qui non ſolum ſe dignitate & auctoritate ſua videbant imminutos, ſed & regiam ad quaevis ſcelera peragenda ſentiebant viam. Lapſi enim ad hos martyres praepedita plane ſententia, & ridiculo plane inſtituto

y) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. p. 253.
z) vid. l. c. Tom. I. p. 265.

Digitized by Google

tuto confugiebant, & integri vitae ſcelerisque puri ex ipſorum cuſtodiis cavernisque redibant. Et ne quid turpitudinis deeſſet, ipſi lapſi nundinationes inſtituebant, & hos pacis libellos, numerata pecuniae ſumma, vendebant, quod momentum jam ex inſtituto tractarem, niſi illud in Exercitationibus *Anti-Trombellianis* a) nuper admodum ſatis delibaſſem, & a praepedita Romanenſium de indulgentiis ſeu veniis impertiendis, vindicaſſem opinione. Inde filum jam abrumpo.

§. LXII.

Aſt videamus & eruamus hoc argumentum, adſtruamusque, quid emolumenti olim litterae, de quibus diſputamus, communicatoriae habuerint in haereſibus & internecandis & prorſus extinguendis. Rem facile ad oculatam dabimus fidem. Proſtat apud SOCRATEM epiſtola ſynodica & encyclica, quam ALEXANDER, epiſcopus Alexandrinus, cum conſenſu multorum epiſcoporum, hanc ob cauſam convocatorum, ad totam eccleſiam, quae per Aegyptum & Lybiam floruit, Chriſtianam, miſit. En ipſius epiſtolae primordium: *Dilectis & chariſſimis ubique catholicae eccleſiae commiiniſtris, Alexander in domino ſalutem. Cum unum ſit catholicae corpus eccleſiae, mandatumque ſit in ſacris litteris, ut pacis & concordiae vinculum conſervemus, conſentaneumque eſt, ut, quaecunque apud ſingulos geruntur, nobis invicem per litteras ſignificemus, quo ſcilicet, ſeu patiente, ſeu gaudente uno membro, ipſi viciſſim aut compatiamur aut collaetemur. In noſtra igitur paroecia extiterunt nuper homines & iniqui, & hoſtes Chriſti, docentes defectionem ejusmodi, quam jure quis praeviam & praenuntiam Anti-Chriſti appellaverit. Ac volueram equidem hoc, quicquid eſt, ſilentio involvere, ut malum intra ipſos apoſtatas clauſum conſumeretur, ne forte in alia transgreſſum loca, ſimpliciorum hominum aures contaminaret. Sed quoniam Euſebius is, qui nunc eſt Nicomediae, res eccleſiae ex nutu ſuo pendere exiſtimans, eo, quod relicta Berytiorum eccleſia ad Nicomedienſem epiſcopatum, nullo ulciſcente, impune transgreſſus eſt, horum apoſtatarum patrocinium ſuſcipit, & litteras quaque verſus auſus eſt ſcribere, commendans illos, ut imperitos homines ad peſſimam Chriſtoque infenſam haereſin traducat, neceſſarium duxi, ſilentium abrumpere, utpote ſciens id, quod in lege ſcriptum eſt, vobis-*

Q *que*

a) vid. Exercitat. Anti-Trombell. Tom. I, Part. II. Exercitat. VI. p. 84. ſeq.

Digitized by Google

que omnibus renuntiare, quo & apoſtatas ipſos, & infeliciſſima illius erroris verba cognoſcatis, ac ſi forte Euſebius ſcripſerit, ei minime attendatis. b) Commendavit ALEXANDER, Epiſcopus, eccleſiae catholicae unitatem, quae propullulante Arianorum haereſi erat conſervanda. Convocavit extemplo epiſcoporum Concilium, & cum iis iniit conſilia, quibus rationibus haereſi Arianae, quae, ſubſidio EVSEBII Nicomedienſis, univerſam Lybiam & Aegyptum pervagabatur, poni poſſet obex. Emiſit ſtatim epiſtolam encyclicam ad alios epiſcopos, & Euſebii ſocios notavit, ut eo melius rerum ſuarum ſatagere poſſent. Auctor fuit ſuaſorque omnibus epiſcopis & fidelibus, ut hos Arianos cane evitarent pejus & angue. Cavendum eſſe tradit ab EVSEBIO NICOMEDIENSI, qui niger, cujus litterae communicatoriae, ſi forte peregrini illas afferrent, eſſent explorandae, nec temere illis fides adhibenda.

§. LXIII.

Confirmanda eſt noſtra de uſu harum litterarum communicatoriarum in dirimendis & extirpandis haereſibus ſententia, aliis, eisque ſatis validis, rerum hiſtoricarum documentis. Haud infimi ordinis eſt MARCIONIS exemplum, ſaeculo ſecundo jamjam obvium. Conſpurcaverat ſe MARCION crimine, quo vitiarat virginem, inde parenti, epiſcopo Sinopenſi in Ponto, optimo videbatur dignus, qui eccleſiae extruderetur communione. Romam ſe contulit, & ut in communionem eccleſiae iterum admitteretur, anxie quidem efflagitavit, ſed ſedes Romana, quia a parente epiſcopo ab hac cenſura nondum erat liberatus, ejus precibus non dedit locum. Sunt, qui auctoritati Romanae ſedis velificantur, & appellationem aliquam ad Petri cathedram extorquent, ſed his ſufficient, quae SAM. BASNAGIVS, c) NATALIS ALEXANDER, d) & LVDOV. ELLIES DV PINIVS e) circa hoc argumentum cum veritate obſervant. Perſpicimus ex hoc teſtimonio, eo tempore ſibi temperaſſe epiſcopos Romanos a poteſtate in alios, eosque minutae quandoque auctoritatis epiſcopos, vindicanda. Approbarunt ſuo calculo, quod alii epiſcopi juſtis ex cauſſis in re ſacra gerenda evulgarant. Hunc in cenſum quoque venit

b) vid. Socrat. Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. I. Cap. VI. p. 5. edit. Valeſ.
c) vid. Annal. Pol. Eccleſiaſt. Tom. II. ad Secul. II. p. 70. ſeq.
d) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Tom. III. ad Secul. II. Diſſ. II. Art. III. p. 326.
e) vid. Diſſert. hiſtoric. de Antiq. Eccleſ. Diſcipl. Diſſ. II. p. 144.

Digitized by Google

venit PAVLLVS SAMOSATENVS, qui non ſolum deliciis, & ambitiuni indulſerat, ſed & Chriſto bellum ſcripſerat. Quo huic homuncioni nocentes detraherent divitias, & portentoſas ipſius ſupprimerent opiniones, epiſcopi hanc in cauſam congregati, eum ſua dignitate, qua DVCENARIVS potius, quam epiſcopus appellari maluit, recte privarunt, & totam hujus expulſionis cauſſam ad DIONYSIVM Romanum & MAXIMVM ALEXANDRVM, & reliquas provincias, detulerunt. Vide, ſis, totum hoc negotium ab EVSEBIO f) prolixe traditum. Accedunt alia rei tractandae documenta, in FELICISSIMO conſpicua, qui ſpurciſſimis ſuis factis, & maculis ſeſe jamjam ab eccleſiae communione ſepararat, & deinceps communi eccleſiae ſuffragio expulſus eſt, cujus monumentum CYPRIANVS g) his refert verbis: *Legi litteras tuas, frater cariſſime, quas per Saturnum fratrem noſtrum Acoluthum miſiſti, & dilectionis fraternae & eccleſiaſticae diſciplinae & ſacerdotalis cenſurae ſatis plenas, quibus ſignificaſti, Feliciſſimum, hoſtem Chriſti, non novum, ſed jam pridem ob crimina ſua plurima & graviſſima abſtentum, & non tantum mea, ſed plurimorum coëpiſcoporum ſententia condemnatum, rejectum a te illic eſſe, & cum veniſſet ſtipatus caterva & factione deſperatorum, vigore pleno, quo epiſcopos agere oportet, pulſum de eccleſia eſſe, de qua jam pridem cum ſui ſimilibus Dei majeſtate & Chriſti domini & judicis noſtri ſeveritate depulſus eſt, ne ſchismatis & diſſidii auctor, ne pecuniae commiſſae ſibi fraudator, ne ſtuprator virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor, ultra adhuc ſponſam Chriſti incorruptam, ſanctam, pudicam, praeſentiae ſuae dedecore & impudica atque inceſta contagione violaret.* Nemo rigoroſam hanc & acerbam reprehendet ſententiam, quia FELICISSIMVS jamdudum Chriſtianorum communioni miſerat nuntium, & non levem eccleſiae attraxerat maculam. Satius igitur erat, hunc malae notae virum, a cujus amicitia & familiaritate jamdudum abſtinuerunt purioris doctrinae epiſcopi, quos inter erat CYPRIANVS, ab eccleſiae communione removere arcereque longius. Memoratu adhuc dignum aeſtimo diſcrimen aliquod litteras inter *communicatorias*, & *domeſticas*, ſeu ob communem vitae uſum & conſuetudinem neceſſarias, eſſe conſtituendum. Religioni fuit primitivae eccleſiae proceribus, cum illis, qui ab eccleſiae conjunctione erant ſegregati

Q 2 longi-

f) vid. Ej. Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. VII. Cap. XXX. p. 114. ſeq.

g) vid. Ej. Epiſtol. LIX. p. 126. edit. laud.

Digitized by Google

longius, familiare aliquod alere rerum ſacrarum commercium. Nullum ab his ſuſpectae fidei, nec non exploratae nequitiae viris, in rebus fidei controverſis, vel examinandis vel decidendis, ſciſcitabantur epiſcopi ſuffragium. Rerum in ſynodis & conciliis compoſitarum eos non fecerunt certiores, neque eos in ſuam familiaritatem & ſacrorum uſum admiſerunt. Ubi vero negotium aliquod civile purioris fidei doctoribus cum hujus farinae hominibus interceſſit, privatas ſaltem vel domeſticas, quae ex ſocietate naturali, & reipublicae ſtatu illis non erant denegandae, ad ipſos amandarunt litteras, quod diſcrimen ex AVGVSTINO addiſcimus. Quale fuerit litterarum cum his transfugis ad falſam eccleſiam commercium, egregie ex AVGVSTINO h) cognoſcimus, qui de DONATISTIS hunc in modum ſcribit: *Unde factum eſt, ut etiam ad nonnullos Donatiſtarum primarios ſcriberemus, non communicatorias litteras, quas jam olim propter ſuam perverſitatem ab unitate catholica, quae toto orbe diffuſa eſt, non accipiunt, ſed tales privatas, qualibus nobis uti etiam ad paganos licet.* Dijudicatu nunc eſt haud difficile, catholicae eccleſiae miniſtros, familiarem cum his, qui haereſeos labem ſibi attraxerant, evitaſſe ſocietatem, ſacrorum autem communionem cum eisdem pio animo fervoreque, ne in eandem errorum praecipites darentur voraginem, ſedulo caviſſe. Id tamen haud praetermittendum eſt, prolapſos eſſe poſtea epiſcopos extra ſuam orbitam, & cum eccleſiae excommunicatione nimis ſevere, & crebro detonuiſſe, quem intempeſtivum furorem, & ne quid amplius dicam, rabiem, VICTOR, Epiſcopus Romanus, teſte EVSEBIO, i) in eccleſias Aſiaticas, propter controverſiam de feſto paſchatis, evomuit, & illas tanquam veneno, & exitiali errore infectas, ab eccleſiae catholicae excluſit communione. Tantaene animis coeleſtibus irae! Tantone opus erat in re, fidei fundamentum haud attingente, odio & zelo! Succrevit clanculum hujus excommunicationis poteſtas, & in tantum quidem evaſit monſtrum, ut diriſſimis exſecrationum formulis epiſcopi peterent illos, qui commercio ſacro erant privandi, ob quas obſtupuerunt ſteteruntque comae! Lege, amabo, SYNESII CYRENSIS k) verba: *Ptolomaidis eccleſia baec ad omnes ubique terrarum ſorores ſuas eccleſias praecipit. Andronico, ejus-*

h) vid. Ej. Op. Tom. II. Epiſtol. XLIII. p. 67. edit. Benedict.
i) vid. Ej. Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. V. Cap. XXIV. p. 78. ſeq.
k) vid. Ej. Epiſtol. LVIII. p. 203. edit. Paris.

Digitized by Google

ejuſque ſociis, Thoanti, & ejus ſociis, nullum Dei fanum aperiatur. Omnis illis religioſa aedes ac ſepta claudantur. Nulla diabolo in paradiſo pars eſt, qui, ſi clam irrepſerit, expelletur. At cum privatis omnibus & magiſtratibus praecipio, eodem cum illo neque tecto neque menſa uti, tum ſacerdotibus inprimis, qui nec viventes illos ſalutabunt, nec mortuos funebri pompa deducent. Sin quisquam velut anguſtae urbis eccleſiam contemſerit, & ab ea' damnatos receperit, quaſi pauperi parere nihil neceſſe ſit, noverit infectam a ſe eccleſiam, quam unam eſſe vult Chriſtus. Atque hic ſive Levita ſive ſacerdos ſit, ſive epiſcopus, apud nos in Andronici loco reputabitur, neque cum eo dextram jungemus, nec eadem ex menſa veſcemur unquam. Tantum abeſt, ut cum iis arcana myſteria communicemus, qui cum Andronico & Thoante partem aliquam habere voluerint.

§. LXIV.

Nova deinceps haec epiſcopalis poteſtas partim indulgentia imperatorum, partim Romanorum epiſcoporum auctoritate & faſtu, cepit incrementa, ut pie inſtituta in peſſimum abierint abuſum, quod WALO MESSALINVS, l) ſeu, qui fertur, CLAVDIVS SALMASIVS dextre expoſuit. Sed telam pertexere nolo, quum evicerim ſatis, has litteras communicatorias in republica Chriſtiana amplificanda & conſervanda fuiſſe perutiles ac neceſſarias.

§. LXV.

Libet nunc, paucis *aetatem* & *originem* harum litterarum communicatoriarum & commendatitiarum penitius inveſtigare, & ſingularem, qui ex illis promanavit in eccleſiam Chriſtianam, evincere uſum. Si conſtitutionibus, quae circumferuntur, apoſtolicis fides eſt adhibenda, harum litterarum natales in ipſis apoſtolorum inſtitutis ſunt quaerendi. Offert ſeſe hujus argumenti ſpecimen, in canone X. qui ita eſt conſtructus: m) Εἴτις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς ἀφωρισμένος, ἤτοι ἄδεκτος, ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δεχθῇ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθωσαν οἱ δεξάμενοι καὶ ὁ δεχθείς. Εἰ δὲ ἀφωρισμένος ἦν, ἐπιτεινέσθω αὐτῷ ὁ ἀφορισμὸς, ὡς ψευσαμένῳ καὶ ἀπατήσαντι ἐκκλησίαν Θεοῦ. *Si quis Clericus aut laicus ſegregatus vel non receptus abiens*

Q 3

l) vid. Ej. Diſſertat. I. de Epiſcop. & Presbyter. contr. Petav. Cap. VI. p. 428. ſeq.
m) vid. Cotel. S.S.P.P. Apoſtol. Vol. I. p. 438.

Digitized by Google

abiens ad aliam civitatem ſine litteris commendatitiis receptus fuerit, ſegregentur, qui receperunt, & qui receptus eſt. Si autem fuerit ſegregatus, prorogetur ei ſegregatio, ut qui verbis feſellerit ac deceperit eccleſiam Dei. Ex hoc ipſo harum conſtitutionum apoſtolicarum canone manifeſtum eſt, illas ipſas, quas dixi, conſtitutiones ſequiore aetate eſſe congeſtas compilatasque. Quieſcit de hoc libro, maximam qua partem, ſpurio calamus, quum hanc rem ad evictam dederit fidem IO. DALLAEVS n) in hoc litterarum genere ſine dubio princeps. Fefellit proinde viros Romanae ſedi magis, quam veritati addictos, augurium, quo laudatis ex conſtitutionibus apoſtolicis harum litterarum elicere ſatagunt originem. Ipſe, quem excitavimus, canon documento eſt luculentisſimo, illum recentioris eſſe aetatis, neque apoſtolorum redolere tempora, quibus tam ſevera, quam excitatus ſpirat canon, nondum extitit diſciplina eccleſiaſtica. Modeſte quidem B. IO. GVILIELMVS JANVS o) de his canonibus apoſtolicis diſputat, & diſſidia DALLAEVM inter & BEVEREGIVM exorta componere annititur, dum rationibus haud levidenſibus illorum auctoritati & antiquitati curatius conſulere intendit; ſed virgula tamen opus eſt Mercuriali, quinam canones ipſis apoſtolis ſint attribuendi. Quamvis non inficier, cum laudato JANO, paſſim in ſcriptis trium priorum ſaeculorum canonum apoſtolicorum fieri mentionem, & proinde concedam, evulgatas eſſe quasdam ab apoſtolis in regimine eccleſiaſtico obſervandas leges; id tamen in confeſſo eſt, illas ipſas, quas dixi, leges adeo eſſe interpolatas, & variis acceſſionibus adauctas, ut, quinam ſint apoſtolorum canones, indicatu ſit perdifficile. Lapis in tam ſalebroſis argumentis ſine dubio Lydius erit argumentum, quod quivis tradit canon, ex quo colligi poteſt, utrum apoſtolorum ſapiat auctoritatem & aetatem, nec ne? Plures extant canones, qui res controverſas & inſtituta tractant, tempore apoſtolorum nunquam nota. Fruſtra in hoc deſudaremus argumento, ſi illud verboſius tractare velimus. Tempore enim apoſtolorum eccleſia Chriſtiana ad tantam nondum pervenerat dignitatem, ut epiſcopi, quorum nomen illo ſenſu multo recentius eſt, hanc poteſtatem in clericos laicosque habuerint. Ex altera vero parte illi hallucinantur, & non levi laborant temporum errore, qui hoc littera-

rum

n) vid. Ej. Pſeudepigraph. Apoſtolic. Lib. III. Harderovic. edit. 1653.

o) vid. Ej. Schediaſm. de Antiquit. Canon. Apoſtol. Cap. I. de fatis Can. Apoſtol. p. 5. ſeq. Cap. II. de Antiquit. p. 15. ſeq.

Digitized by Google

rum genus Concilio prorſus vindicant NICAENO. Quae ſententia vel canone LVIII. Concilii ELIBERTANI, ante Concilium NICAENVM habiti, corruit. Planus eſt hujus Concilii ELIBERTANI canon, qui ita ſe habet: *Placuit ubique & maxime in eo loco, in quo prima cathedra conſtituta eſt epiſcopatus, ut interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant ſuo teſtimonio comprobati.* p) Inanem illam, quam maximo cum niſu de prima cathedra movet CAJETANVS CENNIVS, q) non attingere placet concertationem. Satis eſt, hunc canonem eſſe documento, litterarum communicatoriarum uſum jam ante Concilium Nicaenum invaluiſſe, & poteſtatem conſcribendi & explorandi has litteras epiſcopis fuiſſe relictam. Subſcribit LVDOVICVS THOMASINVS, r) & hoc litterarum communicatoriarum laudat inſtitutum, illamque auctoritatem, provinciarum epiſcopis & metropolitanis non immerito, pro conditione iſtorum ſaeculorum, vindicat. Agit hic canon, judice GABRIELE ALBASPINAEO s) Aurelianenſi, de viatoribus ſeu iis, qui peregrinationem ſuſcipiebant, & jure hoſpitalitatis & ſacrorum communione apud exteros Chriſtianos adornandi erant. *Inde mos*, inquit ALBASPINAEVS, *invaluerat, ut epiſcopi in iis litteris, quas viatores epiſcopis legendas offerebant, adſcriberent diem illum, quo illi dioeceſin obiiſſent, & quemadmodum ſe in ea geſſiſſent: atque iſta ratio ſuſcipiendi viatores agendique cum illis, eo pertinebat, ne cum peccatoribus commercio aliquo communicarent.* Commendanda eſt haec primitivorum Chriſtianorum ratio, qua fideles hac fidei teſſera adornarunt, ut ſocietate Chriſtianorum fruerentur. Preſſerunt haec veſtigia alia concilia, quae inter eſt Concilium CARTHAGINENSE ſub praeſidio Sancti GRATI habitum, cujus canon VII. ita ſe habet: *Caſſianus Uſulenſis epiſcopus dixit: Statuat gravitas veſtra, ut unusquisque clericus vel laicus non communicet in aliena plebe ſine litteris epiſcopi ſui. Gratus epiſcopus dixit: Niſi hoc obſervatum fuerit, communio fiet paſſiva.* t) Ex laudati conciliabuli canone intelligimus, epiſcopos hac non gaviſos fuiſſe auctoritate, ut ſine his litteris communicatoriis alienae eccleſiae cives in ſuae, cujus provin-

p) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. p. 256.
q) vid. Ej. Antiq. Eccleſ. Hiſpanic. Tom. I. Diſſert. I. Cap. IV. p. 73.
r) vid. Vet. & Nov. Eccleſ. diſcipl. Tom. I. Part. I. Lib. I. Cap. XL. N. 7. p. 133.
s) vid. Ej. Commentar. & Not. in Canon. Concilii Elibertani ad h. Canon. LVIII. p. m. 330.
t) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. p. 686.

Digitized by Google

provinciam ſuſtinebant, eccleſiae unionem recipere potuerint. Verba illa: *Communio* fiet *paſſiva*, admodum videntur obſcura, globuloque adhuc involuta. Inde apud *Harduinum* ad marginem legitur: *fiet promiſcua; indifferens, ſine diſcrimine.* u) Alii legere malunt *paſſim.* Sed veritati conſentanea mihi videtur EMMANVELIS SCHELSTRATII ſententia, qua adſeritur: *Per communionem paſſivam Africanos epiſcopos nihil aliud innuere voluiſſe, quam alias communionem fidelium detrimentum paſſuram. Sic in canone II. hujus Synodi legimus, paſſiva corpora, quibus exprimunt patres corpora martyrum tormentis enecata, & ſic detrimentum paſſa.* x) Fruſtra deſudant, & incaſſum laborant, qui alium laudato ſupra canoni adfingunt ſenſum, quia eccleſiae communio quam maxime laeditur, ſi peſſimae notae homines, juſtas ob cauſas expulſi, ab aliis in ſocietatem aſſumuntur eccleſiis.

§. LXVI.

Prolapſi propemodum ſumus a via, quam ingreſſi ſumus, regia. Inſtituti memores, in rectum redimus tramitem, ſtatuentes, harum litterarum communicatoriarum uſum jam ante Concilium receptum eſſe Elibertanum, ſed ſucceſſu temporis, creſcente epiſcoporum auctoritate, in majorem abiiſſe vim & poteſtatem. Canon Concilii ELIBERTANI nos ſaltem edocet, harum litterarum formam eo tempore fuiſſe communi ſuffragio admiſſam, quum antea hac auctoritate nondum eſſent adauctae. Videmur nobis a vero haud aberrare, ſi dixerimus, crebriorem Chriſtianorum, qui lapſi dicebantur, a fide defectionem, celebremque illam de recipiendis lapſis CYPRIANVM inter & NOVATVM exortam concertationem, huic inſtituto dediſſe primordia. Diuturna vexationum acerbitas emollivit parum firmos complurium Chriſtianorum animos, ut fidem Chriſto datam repudiarent primam, ſeque vel idololatriae, vel ſcelerum conſpurcarent crimine. Opera danda erat eccleſiae praeſulibus, quo huic mederentur malo, magis magisque ingraveſcenti. Conſilium de imponenda poenitentia publica, ejusdemque variis, pro dignitate criminum, gradibus iniere eccleſiarum epiſcopi, qui, teſte y) JACOBO SIRMON-

u) vid. l. c. p. 686.

x) vid. Ej. Eccleſ. Afric. ſub primat. Carthaginenſ. Diſſ. III. Cap. III. p. 144. a Paris.

y) vid. Ej. Hiſtor. Poenitent. Public. Cap. VI. p. 215. edit. Niemeier.

Digitized by Google

SIRMONDO, ſibi ſolis hanc vindicarunt poteſtatem & auctoritatem. Tanto acerbius ſuam defenderunt epiſcopi provinciam, quanto prociviores videbantur lapſi ad poenae mitigationem, a martyribus deſignatis petendam. Quo ex poenitentiae publicae ritu fervidum illud inter CYPRIANVM & NOVATVM Novatianosque enatum eſt diſſidium, quod in eccleſiae perniciem longe lateque exarſit. Quo igitur epiſcopi unum eundemque ſervarent, vel in recipiendis, vel in eliminandis lapſis, tenorem, & huic pravae conſuetudini ponerent obicem, haec evulgarunt in variis conciliis decreta, quibus vetitum eſt, illos, qui macula laborarunt, & nondum cum eccleſis, quibus adſcripti fuerunt, redierunt in gratiam, recipere.. Sententiam noſtram extemplo canone LIII. concilii ELIBERTANI confirmamus. En ipſum: z) *Placuit cunctis, ut ab eo epiſcopo quis accipiat communionem, a quo abſtentus in crimine aliquo fuerit. Quod ſi alius epiſcopus praeſumſerit, eum admitti, illo adbuc minime faciente, vel conſentiente, a quo fuerat communione privatus, ſciat, ſe hujusmodi cauſſas inter fratres cum ſtatus ſui periculo praeſtiturum.* A quo non diſſentit Concilii ARELATENSIS canon XVI. quem addidiſſe juvabit: a) *De his, qui pro delicto ſuo a communione ſeparantur, placuit, ut, in quibuscunque locis fuerint excluſi, eodem loco communionem conſequantur.* Nauſeam illis, qui diſciplinarum & antiquitatum ſanctiorum oblectantur lautitiis, non movebimus, ſi his, quae adduximus, canonibus ſuperpondium aliquod ex canonibus Conciliorum & *Antiocheni* & *Sardicenſis* addiderimus, quorum alterum, ANTIOCHENVM b) nimirum hanc pronunciavit ſententiam: *Si quis a proprio epiſcopo excommunicatus eſt, non eum debere prius ab aliis ſuſcipi, niſi aut a ſuo fuerit receptus epiſcopo, aut concilio facto occurrat, ut reſpondeat, & ſi ſynodo ſatisfecerit, ſtatuimus, ſub alia ſententia eum recipi. Quod etiam circa laicos & presbyteros, & diaconos, & omnes, qui in clero ſunt, convenit obſervari.* SARDICENSE vero concilium c) hunc evulgavit de hac lite canonem: *Hoc quoque omnibus placeat, ut, ſive diaconus, ſive presbyter, ſive quis clericorum, ab epiſcopo ſuo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit epiſcopum, & ſcierit ille, ad quem confu-*

R

z) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. p. 256.

a) vid. l. c. p. 266.

b) vid. Ejusd. Act. Tom. I. Concil. Antioch. can. VI. p. 595. Concil. Sard. Can. XVI. p. 650. c) vid. l. c.

Digitized by Google

confugit, eum ab epiſcopo ſuo fuiſſe abjectum, non oportet, ut ei communionem indulgeat. Qui canones ſua radiant luce, ut vix uberiori opus ſit commentatione. Haec ipſa lapſorum conditio hoc ſuaſit inſtitutum, quo effrenata ipſorum laſcivia aliqua ratione infringeretur, ipſisque ad fidelium commercium accedendi via praecluderetur, niſi litteris communicatoriis de expiato crimine publicum ſuggererent teſtimonium. Accedunt deperditi quorundam clericorum mores, quibus vel clandeſtinos ciebant in eccleſia, per ſuas falſas doctrinas, motus, vel vita ſuis perſonis prorſus indigna, fidelium turbabant circulos, ita, ut illos e ſuis circulis eliminandos judicarent epiſcopi. Pone nunc, hos rerum novarum, earundemque peſſimarum, auctores ab aliis epiſcopis in ſocietatem & communionem eſſe admiſſos, quid quaeſo aliud, quam grande toti eccleſiae imminuit periculum? Soluta ſane ſunt hac blanda aliorum epiſcoporum indulgentia unionis vincula, & ſatis tutum ſecurumque haereticis, & hominibus, qui foenum habebant in cornu, admodum nigris patefactum eſt aſylum. Ne vero clerici de injuria, ipſis a ſuo epiſcopo illata, conquererentur, ipſis adhuc integrum fuit, ſuam rem examini totius concilii vel ſynodi committere, & in judicium cum epiſcopo deſcendere. Quae ſi rite expendas argumenta, horum canonum rigorem, quin mitigaturus ſis, vix dubito.

§. LXVII.

At haec non ſola fuit eccleſiae calamitas. Aliud ſane ex alio malum. Inſurrexerunt infenſi Chriſtiani nominis hoſtes haeretici, tenebriones, & reipublicae Chriſtianae incendiarii, qui venenatas ſpargebant doctrinas, & tam aperte, quam clanculum, veritatem Chriſtianam arrodebant, imminuebant, ſubvertebant. Caute procedendum eſſe judicabant eccleſiae praeſules, nec facile hominem vel clericum vel gregarium ſine litteris communicatoriis in alias regiones dimittendum, ne eccleſiae inde enaſceretur periculum. Laudanda nobis videtur provida epiſcoporum cura, qua Chriſtiani, ſive fuerint homines plebeji, ſive ordini ſacro adſcripti, ex ſua ditione in alienas regiones proficiſcentes, ſuae fidei ab epiſcopo receperunt teſtimonium, ut in eccleſiae communionem admitterentur, & ſacris ubique libere fruerentur. Niſi peregrinus has attulerat litteras, quas adpellare amamus communicatorias, ex eccleſia erat eliminandus, neque ad Chriſtianorum ſocietatem admittendus. Exinde facile patefcit,

Digitized by Google

ſcit, quid nomine communionis *peregrinae* & *laicae* intelligatur. Duplex communionis & peregrinae & laicae in documentis antiquiſſimis occurrit nomen. Communio *peregrina* nobis eſt illa, quando homo clericus ſacro in ordine & choro cum reliquis quidem ſuae ſocietatis membris communicavit, ſed munia in adminiſtranda ſacra euchariſtia ſubire ipſi minime fuit integrum. Peregrina proinde adpellatur communio, quia adventitii clerici peregrini eadem ratione communicarunt. *Laica* vero eſt ejus clerici, qui extra choros medios inter laicos ſtetit, & cum laicis communicavit, & qui ad ſacram menſam accedendi jure fuit privatus, quod purpuratus admittit BONA. d) Peregrina proinde communio eſt clericorum, qui ab officio ſunt ſuſpenſi, donec ad ſaniorem redierint mentem, ut canon II. concilii AGATHENSIS docet. En ipſum canonem: *Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiſerit, ab epiſcopis corrigantur: & ſi qui prioris gradus elati ſuperbia communionem fortaſſe contemſerint, aut eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita, ut, cum eos poenitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant.* e) Reſpondet itaque hic diſciplinae eccleſiaſticae gradus poenae, in eccleſia noſtra adhuc uſitatae, qua eccleſiae miniſtri rebus ſacris ſecus functi, aut aliis adfecti maculis, a ſenatu ſanctiori, ad tempus, munere ſuo abſtinere jubentur. Laica vero communio eſt eorum, qui dignitate ſacra prorſus ſunt exuti, & ex albo clericorum extincti. Quo in argumento ſuffragium, tantum abeſt, ut S. Ven. SAL. DEYLINGIO f) & cl. JACOBO HENRICO BORNIO g) detraham, ut potius illorum ſententiam ſolide evictam faciam meam. Exhauſit quoque totum hoc de peregrina communione argumentum IO. FAESIVS, h) & rationibus prorſus invictis demonſtravit, Pontificios praeconceptis ſuis opinionibus hoc diſciplinae eccleſiaſticae defoedaſſe genus. Urget his, quibus haec poenitentia invaluit,

d) vid. Bona Rer. Liturgic. Lib. II. Cap. XIX. §. III. p. 601.

e) vid. Ej. Concil. Tom. II. p. 998.

f) vid. Ej. Obſervat. Miſcellan. Tom. IV. Exercitat. V. Obſerv. VI. §. IX. & X. p. 325. ſeq.

g) vid. Ej. Comment. de Commun. peregr. vet. Cleric. cenſ. §. X. p. 40. §. XIV. p. 53. edit. Lipſ. 1742.

h) vid. Ej. Obelus Peregrinitati communionis peregrinae Phil. Io. Tilemanni dicti Schenck in gratiam verae & ſincerae antiquitatis fixus Cap. III. p. 50. edit. Brem. 1694.

Digitized by Google

luit, aetatibus, communionem ſub utraque celebratam, eamque clericis aeque ac laicis fuiſſe communem. Occurreret ſane veſtigium, hos cenſurae eccleſiaſticae obnoxios ſub una tantum ſpecie euchariſtiam recepiſſe. Exponit ulterius, hoc poenitentiae genus nullibi clericis fuiſſe impoſitum, ſed ipſam adhibitam eſſe in hominibus graviori macula affectis excommunicationem. Mitto reliqua argumenta ab ipſo ſacrae euchariſtiae inſtituto & communione, quae utramque praeſupponit ſpeciem, depromta. Corruet nunc haec propudioſa Romanenſium de communione perſvaſio.

§. LXVIII.

At redeo ad meos, quos mihi poſui, cancellos. Peregrini itaque clerici his deſtituti litteris communicatoriis & commendatitiis pro excommunicatis habebantur, neque ſacris neque focis aliorum clericorum fruebantur, ut prolixius demonſtrat ALBASPINAEVS. i) Non melior fuit laicorum his litteris communicatoriis deſtitutorum ratio, qua hi advenae, & peregrini, neque ad ſacra, neque ad ſocietatem, & alia Chriſtianorum emolumenta, habuerunt aditum, & his prorſus exciderunt beneficiis. Rigidior forte nonnullis videbitur haec primorum Chriſtianorum conſvetudo, ſed ipſa rerum Chriſtianarum eam ſvaſit neceſſitas. Non enim illo tempore omnes fuerunt Chriſtiani, qui Chriſtianorum praeferebant nomen, ſiquidem hoc titulo Chriſtianorum beneficiis frui, & illorum arcana expiſcari ſolebant verſipelles Chriſtiani nominis profeſſores. Satis inſignia fuerunt, quae ex hac communione ad fideles, & non fucatos eccleſiae ſocios, redundarunt emolumenta. Libera ipſis offerebatur omnibus ſacris cum pio coetu fruendi copia; qui expeditus ad ſacram menſam acceſſus teſtimonio fuit luculentiſſimo, hos peregrinos communioni ſanctorum eſſe adſcriptos. Mactabantur porro hi fideles advenae nomine fratrum, quo ipſo hac, de qua agitur, aetate nihil illuſtrius fuit, nihilque inſignius. Non denegabatur ipſis amicitiae amorisque oſculum, quo adventantes excipere ſolebant Chriſtiani. Omnia denique ad vitae corporisque cultum neceſſaria protenſa manu ipſis adferebantur emolumenta. His omnibus, & ſi quid dignius iſtis, privabantur illi, qui ſine litterarum communicatoriarum teſſera ad alias accedebant eccleſias.

§. LXIX.

i) vid. Ej. Obſervat. de Vet. Eccleſ. Ritib. Lib. I. Obſerv. III. p. 9. ſeq.

Digitized by Google

§. LXIX.

Vidimus ex his, quae prolixe tradidimus, inſtitutis, quam egregie fecerint hae litterae ad unionem eccleſiae catholicae conſervandam. Pateſcit harum litterarum in alendis & fovendis advenis uſus. Pateſcit ulterius hujus rei utilitas ex controverſiis in ſinu eccleſiae enatis pernicioſiſſimis, quibus, ne ſuo veneno totum inficerent eccleſiae chriſtianae corpus, hoc medio omnium moderatiſſimo & praeſtantiſſimo poſitus eſt obex. Quas, diximus, litterae, non ſolum promovendae fidei, ſed & ſuffocandarum haereſium fuerunt media longe aptiſſima & feliciſſima. Procul dubio hoc litterarum communicatoriarum inſtitutum innocuis & licitis, quibus effrenis haereticorum protervia infringi potuit, annumerandum eſt inſtrumentis. Nulla vis, de qua haereticorum defenſores, quos inter primas tenet partes GODOFR. ARNOLDVS, plerumque ſubingemiſcunt, haereticis eſt illata. Non igne & aqua, ſed piorum commercio, interdictij ſunt. Quam agendi rationem minime improbant ſacri codicis documenta. 2. Cor. VI. 14. ſeq. 1. Theſſ. V. 22. Tit. III. 10. 2. Ioh. v. 10. Celeberrimus IOANNES GEORGIVS PERTSCHIVS k) hunc litterarum communicatoriarum uſum minime reprehendit, licet temerarium Romanorum epiſcoporum auſum, quo totam eccleſiam his litteris compeſcere, & ad ſuam voluntatem rapere ſunt annisi, non ſine veritatis firmamento caſtigarit.

§. XX.

Si ſapis, habes hujus inſtituti veſtigium in noſtra eccleſia aliquo modo conſpicuum. Bene enim ac ſapienter conſtitutum eſt a majoribus, ut parochianis ſacris, niſi in caſu neceſſitatis, aut venia jam a ſenatu ſanctiori data, extra ſuam eccleſiam parochialem frui haud ſit licitum. Non negat illuſtris JVST. HENNING. BOEHMERVS, l) parochianos ſacris eccleſiae parochialis praeciſe intereſſe teneri, coactum tamen cultum improbat. Me judice, unus vel alter parochianus vicinorum paſtorum orationibus ſacris quandoque intereſſe poterit; Attamen neque toti coetui neque etiam privato per-

R 3 mitti-

k) vid. Ej. Libr. de jur. Excommun. eccleſiaſt. Cap. III. p. 124. ſeq. & Cap. IV. p. 135. ſeq.

l) vid. Ej. Jur. Paroch. Sect. IV. Cap. I. §. III. IV. ſeq. p. 181. Jur. Eccleſiaſtic. Tom. VI.

Digitized by Google

mittitur, ut cultum eccleſiae parochialis ſacrum repudiet, & alium coetum ſibi eligat, quia huic parochiae eſt addictus, & ſeipſum alii parochiae proprio auſu minime adſcribere poteſt. Si vero gravis, ut diſputat BOEHMERVS, ſubeſt cauſa, quo minus Parochiani cum fructu orationes ſacras ſui paſtoris frequentare poſſint, res ex ſuperiorum, qui ad clavum reipublicae eccleſiaſticae ſedent, miniſtrorum mandato eſt decidenda, ne cultus fiat coactus, auditores ſalutari priventur fructu, aut tandem parochia imminuatur. Plerumque hoc in caſu, ſi paſtor inſigni laborat macula, aut indelebile in ſe ſuorum parochianorum derivavit odium, translocatio hoc diſſolvit diſſidium. Ita quoque ſe res habet cum ſacrae coenae uſu, qui in aliena parochia nemini, ſine Superiorum permiſſu, conceditur, niſi mortis immineat periculum. Putat illuſtris BOEHMERVS, ex principiis Chriſtianiſmi, quemlibet poſſe libere eligere confesſionarium. At difficile eſt demonſtratu, hoc eſſe licitum, ex inſtitutionibus noſtris eccleſiaſticis. Inde libere concedit BOEHMERVS, m) periculoſam eſſe confeſſionarii mutationem, quia daretur & peccandi licentia, & grave aliquod ſcandalum, nec minus ſpecialis negligeretur cura. n) Laudanda proinde eſt noſtrae eccleſiae Saxonicae inſtitutio, ex qua miniſtri eccleſiae alterius parochianos ad ſacram Euchariſtiam admittere haud debent, quod fuſius diluit BENEDICT. CARPZOVIVS. o) Validis tamen ſenatus ſacri proceres commoti rationibus, parochianis non raro concedunt libertatem, extra ſuam parochiam ſacra frequentandi, ne videlicet parocho & parochiano conſcientiae moveantur ſcrupuli, ſalvo tamen nonnunquam manente ſtolae jure, quod ex BOEHMERO p) & DEDEKENNIO q) facile colligitur. Graviter proinde peccat paſtor, qui alterius parochiae civem & inquilinum ſine his litteris communicatoriis, ab iis, qui loco ſummi Epiſcopi ſunt, datis in eccleſiae & ſacrorum recipit commercium. Commendanda quoque eſt illa conſvetudo in nonnullis eccleſiis recepta, qua novi parochiani, qui locum, uti paſtores, ſervi, ancillae & hoſpites, mutant, litteras adferunt communicatorias, quibus exponunt, ſe in illo, quem incoluerunt coetu, ſacris

m) vid. l. c. §. XXI. p. 191. n) vid. l. c.
o) vid. Ej. Definit. Lib. II. Tit. XVIII. def. 290. p. 141. ſeq.
p) vid. l. c. p. 195.
q) vid. Ej. Theſaur. Conſilior. & Deciſ. Tom. III. Appendic. ad Vol. I. Paroch. III. Lib. I. p. 572. ſeq.

Digitized by Google

cris fuiſſe uſos, & puriori cultui addictos. Invaluit poſtea, ut ad inſtitutum revertar, haec conſvetudo, ut neque laicis liceret ſine his litteris communicatoriis e ſuis finibus exire, & iter ad alias eccleſias inſtituere, quam auctoritatem deinceps Pontifices Romani Metropolitanis conceſſerunt, adeo quidem, ut epiſcopi, presbyteri & clerici, iter ornantes, his litteris fuerint augendi, quod argumentum a ſcopo noſtro remotum a THOMASSINO r) videbis pertractatum.

§. LXXI.

Poſtrema harum litterarum communicatoriarum ratio clericos potiſſimum ſpectat, de quorum integritate & rebus agendis illi, ad quorum tendebant clauſtra & eccleſias, erant inſtruendi. Sufficiet ad confirmandam noſtram ſententiam vel unicus canon XIV. Concilii SARDICENSIS in hunc finem conſtitutus, qui haec nobis tradit: *Oſius epiſcopus dixit, & hoc quoque ſtatuere debetis, ut epiſcopus, ſi ex alia civitate convenerit ad aliam civitatem, vel ex provincia ſua ad aliam provinciam, & ambitioni magis, quam devotioni ſerviens, voluerit in alia civitate multo tempore reſidere. Forte enim evenit, epiſcopum loci non eſſe tam inſtructum, neque tam doctum; is vero, qui advenit, incipiat contemnere eum, & frequenter facere ſermonem, ut dehoneſtet & infirmet illius perſonam, ita, ut ex hac occaſione non dubitet relinquere aſſignatam eccleſiam, & tranſeat ad alienam.* s) Degeneraverat illa aetate conſvetudo, qua peregrinis epiſcopis litteris communicatoriis adauctis umbonem ſacrum aſcendendi data eſt facultas, in abuſum, qui in hoc canone tollitur. Procul ſunt noſtro aevo ab hujus canonis fulmine epiſcopi, qui, ne in ſua quidem ditione epiſcopali, ſuggeſtum aſcendunt ſacrum, nedum, ut extra ſuos evolent limites, & ſermones faciant ad populum ſacros. Si patrum purpuratorum concilium, duos & ſeptuaginta Chriſti diſcipulos & duodecim illos Ieſu commilitones ſignificans, & pleroſque Italiae, Galliae, Hiſpaniae & Germaniae conſideras epiſcopos, hos offendes magis deliciis hujus mundi, pompae, venationibus, rebus militaribus & civilibus, quam ſacris addictos, exclamabiſque: O quantum mutati ab illis. De CAROLO BORROMAEO, patre purpurato, ſaltem tradit Venerabilis ERNE

r) vid. Vet. & Nov. Eccleſ. Diſcipl. Tom. I. Part. I. Lib. I. Cap. XL. p. 134.

s) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. p. 647.

Digitized by Google

ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS, t) illum tot ſacerdotiis & divitiis fuiſſe ſuo tempore cumulatum, ut ſplendore fere regio vitam inſtitueret. Niſi forte galerum purpureum & crucis ſignum in illis conſpiceres, dubitares profecto, hos epiſcopos, qui principes dici malunt, ordini ſacro eſſe adſcriptos. O ſi incomparabilis veritatis evangelicae teſtis, IOANNES SARISBVRIENSIS u) viveret, & hos perſonatos contemplaretur Ieſu legatos, ſpondeo, recipioque, illum haec verba eſſe repetiturum: *Neſcio, quo pactores in contrarium verſa eſt, ut, cum omnes fere deſiderent epiſcopari, cum, quod appetunt, adepti fuerint, otio marcant, aut, quod turpius eſt, in vanitatis operibus occupentur.* Aſt enim vero hos epiſcopos, provincia ſacra negligenter fungentes, novum aliquod, idque ſatis inſolens & vagabundum epiſcoporum excepit genus, qui ſe inſularum novi orbis, Moravienſiumque fratrum jactitant epiſcopos, a Chriſto extra ordinem emiſſos, qui ubique locorum haud vocati & invitati ſua debuccinant in conventiculis ſyrmata & lenocinia. Et ne quid fraudis & impoſturae deſit, ſuas litteras communicatorias a fratribus, ſeu novi ordinis ſociis, ſecum adferunt, quo eo melius recipiantur, & comiter habeantur. Sed hic ſubſiſtere libet, quum nobis ſolummodo de litteris communicatoriis, quibus Chriſtiani peregrinantes in fidei Chriſtianae teſtimonium erant mactandi, ſit ſermo.

§. LXXII.

Sufficient aequo rerum noſtrarum cenſori ea, quae circa litteras communicatorias, earum originem, uſumque plane egregium hactenus expoſuimus. Conſideranda nunc ſunt litterarum *commendatitiarum*, in quibus multa occurrunt ſalebroſa, monumenta. Quas diximus, litterae *commendatitiae* nobis illud conſtituunt litterarum eccleſiaſticarum genus, quo vel ſacro, vel civili ordini addicti homines, in peregrinas civitates & regiones abituri, adaucti ſunt, ut majori pietatis affectu reciperentur, & largiore ſubſidiorum & vitae emolumentorum uſu perfunderentur. Quae inſignioris amoris & obſequii nota, utrum ipſorum dignitati & meritis ſit adſcribenda, nec ne, in dubio eſſe videtur. Illi enim, qui litteras commendatitias hominibus ſuſpectae fidei, e qua tamen eluctati eſſent ſuſpicione,

t) vid. Ej. Tabular. Eccleſ. Rom. Annotat. ad §. XVI. p. 82.
u) vid. Flac. Catalog. Teſt. Veritat. Lib. XIV. p. 1437. ex Io. Sariſburienſ. Polycratic. Lib. VIII. Cap. XVII.

Digitized by Google

cione, attribuunt, in aliam deſcendunt ſententiam. Prior tamen opinio, ſi conciliorum acta perluſtramus attentius, ſe nobis valde probat. Utraque ſententia juſto examini nunc eſt ſubmittenda, & harum litterarum uſus luce nova adaugendus. Primas jure quaſi tenet partes ille Concilii *Chalcedonenſis* canon, qui nobis ſtatim erit enucleandus. Rebus enim Chriſtianorum pacatis, patres Concilii *Chalcedonenſis* ſaeculo V. celebrati, vel pietatis vel negotii cauſa peregrinationes ſuſcipientibus, de ſecuritate & hoſpitio proſpexerunt in canone XI. qui ita eſt conſtructus: Πάντας τοὺς πένητας καὶ δεομένους ἐπικουρίας, μετὰ δοκιμασίας, ἐπιστολίοις εἴτουν εἰρηνικοῖς ἐκκλησιαστικοῖς μόνοις ὡρίσαμεν ὁδεύειν, καὶ μὴ συστατικοῖς. Διὰ τὸ τὰς συστατικὰς ἐπιστολὰς προσήκειν τοῖς οὖσι μόνοις ἐν ὑπολήψει παρέχεσθαι προσώποις. *Omnes pauperes & indigentes auxilio, cum proficiſcuntur, ſub probatione epiſtoliis vel eccleſiaſticis vel pacificis tantum modo commendari decrevimus, & non commendatitiis litteris: propterea, quod commendatitiae litterae perſonis honoratioribus ſolummodo conceduntur.* x) Aliam hujus canonis interpretationem ſubminiſtrat nobis ex BALSAMONE, ZONARA, & ALEXIO ARISTENO, BEVEREGIVS, quae ita fluit: *Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examinatione, cum epiſtolis ſex pacificis eccleſiaſticis ſolis viam ingredi ſtatuimus, & non cum commendatitiis; quoniam litteras commendatitias iis ſolis perſonis, quae ſunt ſuſpectae, praeberi oportet.* y) Ex hoc canone intelligimus, litteras *commendatitias* non cuivis homini, ſed vel inſignioribus tantum Chriſtianis de re eccleſiaſtica bene merentibus, vel malae notae viris eſſe datas. Diſſidia de his verbis ſunt exorta: τὰς συστατικὰς ἐπιστολὰς προσήκειν τοῖς οὖσί μόνοις ἐν ὑπολήψει παρέχεσθαι προσώποις: *Commendatitiae litterae perſonis honoratioribus ſolummodo conceduntur.* De voce ὑπόληψις, potiſſimum concertatio eſt enata, quae, ut HENRICVS STEPHANVS z) & SVIDAS a) ex optimis obſervant auctoribus, & bonam exiſtimationem, & minutam apud alios opinionem ſeu ſuſpicionem ſignificat, quod quoque obſervat ALBASPINAEVS. b) Occurrit, teſte

S TROM-

x) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. II. p. 606.
y) vid. Ej. Synodic. Tom. I ad h. canon. p. 125.
z) vid. Ej. Theſaur. Ling. Graec. Tom. III. ad h. v. p. 582.
a) vid. Ej. Lexic. Tom. III. ad h. v. p. 557.
b) vid. Ej. Not. in Canon. Concil. Aſiae ad h. canon. p. 366.

TROMMIO, c) apud profanos ſacroſque auctores vox ὑπόληψις, & ſumitur de illis, qui ſibi ſolis ſapiunt, & naſum rhinocerotis habent: πολλοὺς γὰρ ἐπλάνησεν ἡ ὑπόληψις. *multos vana decepit perſuaſio.* Sirac. III. 23. Sed inficiatur hoc FERRARIVS, adſerendo: ὑπόληψις *ſemper ſuſpicionem, nunquam honorem ſignificat.* d) Inde quam maxime hunc canonem de litteris commendatitiis, quae ſuſpicione maculatis datae ſunt, explicare ſatagit. Recentiores commentatores ZONARAS, BALSAMON, & MATHAEVS BLASTARES de ſuſpicione hunc canonem ſunt interpretati, de hominibus videlicet, qui macula & mala laborant opinione, a qua ſententia non prorſus alieni eſſe videntur FRIDERICVS SPANHEMIVS e) & cl. & de re hiſtorica excellenter meritus IO. GEORGIVS PERTSCHIVS. f) In eandem ſententiam deſcendit PHILIPPVS PRIORIVS, g) qui arbitratur, in hoc canone de clericis peregrinis & ſegregatis agi, qui ſibi malae fidei ſnuſſiſſent notam, ſed rurſus ad pileum eſſent vocati. Inde etiam ZONARAE judicium ad canonem XIII. Apoſtolicum in ſuas traxit partes. Sed obſtant litterae pacificae, pauperibus & indigentibus auxilio datae. Limato proinde ingenii acumine reponit IOANNES CABASSVTIVS: *Sed jam quaero, cur ſolis pauperibus, & ſimul ſuſpicione improba laborantibus, non alias, quam pacificas praeberi oporteat litteras, cum tamen clarioris notae peregrini minus habeant ſuſpicionis, & paupertas viliores perſonas, praeſertim vagas & errabundas, multo facilius ac frequentius ad mendacia & impoſturas adigere ſoleat.* h) Satis adſecutus mihi videtur CABASSVTIVS hujus canonis ſenſum, ex quo non inferioris ſortis, ſed illuſtrioris conditionis peregrinis, de quibus nulla aderat ſuſpicio, has litteras commendatitias eſſe adhibitas, cum ſale adfirmat. Quam explanationem ISIDORVS MERCATOR in ſua admittit verſione, adſerendo: *Quia commendatitias epiſtolas, quas dicimus, eis dare tantum convenit, qui in opere ſunt clariores.* i) In hanc

c) vid. Ej. Concord. Graec. Vol. II. ad h. v. p. 613.

d) vid. Lib. I. Cap. IX. p. 72.

e) vid. Ej. Op. Tom. I. in Hiſt. Eccleſiaſt. ad Sec. IV. p. 880.

f) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. ad Sec. III. Cap. III. §. IX. p. 146.

g) vid. l. c. Canon XXI. p. 69.

h) vid. Ej. notit. eccleſiaſt. Sec. II. diſſertat. VII. p. 33.

i) vid. Harduin. l. c. p. 605.

Google

hanc CABASSVTII ſententiam deſcendit NATALIS ALEXANDER, de hoc, quem tractamus, canone, ita ediſſerens: *Ita vero decreverunt patres, ne commendatio ſubſidia ab extraneis extorqueret, quibus ſponte pauperibus ſubvenire conveniens eſt.* k) Suffragio porro noſtro non plane indigna eſt ALEXII ARISTENI in hunc canonem commentatio, quae canonis ſenſum ita reddit: *Pauperes, qui auxilio indigent, cum litteris epiſcoporum pacificis iter facere debent, ut, qui opem iis ferre poſſint, miſericordia in eos commoveantur. Epiſtolis autem commendatitiis iis non opus eſt, hae enim presbyteris & diaconis & reliquis Clericis exhibentur.* l) Confirmatur noſtra ſententia canone Conſtitutionum apoſtolicarum CCXCV. qui ita fluit: *De ſacerdotibus autem, qui regiones & civitates mutant, tranſeuntque ab urbe in urbem, decernimus, ut oſtendant litteras commendatitias & dimiſſorias epiſcoporum, qui eos ordinaverunt, & medicorum ſpiritualium, atque ſic ad res ſacras exercendas admittantur.* m)

§. LXXIII.

Non inſolens fuit hic litterarum, de quibus agimus, commendatitiarum ſaeculis eccleſiae Chriſtianae recentioribus uſus, praeſertim, quum, decreſcente purioris doctrinae nitore, & irruente ſuperſtitione, clerici crebras ad religioſa loca inſtituerent peregrinationes, & commercium eccleſiam inter Orientalem & Occidentalem adhuc duraret. Proſpiciendum erat proinde his Clericis, de ſecuritate, & honeſto, quo fruerentur, hoſpitio, nec minus intimiore ad praeſules eccleſiarum acceſſu. Hoc ipſo fine & omine PETRVS, Patriarcha *Theopoleos*, Clericum quendam his litteris inſtruxerat commendatitiis ad Pontificem Romanum. Audiamus ex IO. BAPT. COTELERIO n) ipſius Petri verba: Πρὸ καιροῦ δὲ ἐν ἀρχῇ τῆς ἀρχιερωσύνης μου συστατικὴν ἔστειλα γραφὴν πρὸς τὸν μακαριώτατον Πάπαν Ῥώμης, πέμψας αὐτὴν διά τινος τῶν κατ' εὐχὴν ἀπερχομένων εἰς Ιεροσόλυμα πρὸς τὸν λαμπρότατον μάγιστρον καὶ δοῦκα τῆς Ἰταλίας τὸν Ἀργυρὸν, ἵνα κατευοδώσῃ αὐτὴν πρὸς τὴν ἁγιωσύνην σου. Ἔκτοτε δὲ διετία διῆλθε, καὶ περὶ ταύτης, οὐδὲν ἠδυνήθην μαθεῖν, καὶ ἰδοὺ

 πάλιν

k) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Tom. V. ad Sec. V. cap. III. ad h. canon. p. 89.
l) vid. laud. Bevereg. Synod. Tom. I. p. 126.
m) vid. Muratorii Eccleſ. graec. Monum. Tom. I. Nomocan. p. 124. ſeq.
n) vid. Eccleſ. graec. monum. Tom. II. in reſponſo Petri §. XXVI. p. 133. & ſeq.

Digitized by Google

πάλιν ταύτην μεταγράψας, ἔστειλα πρὸς τὴν θεοφιλίαν σου, ἵνα διὰ τὴν ἡμετέραν ἀγάπην, μᾶλλον δὲ διὰ Θεὸν δι᾽ ὃν καὶ ὑπὲρ οὗ ἡ γραφὴ, ὑπὲρ χριστοῦ γὰρ πρεσβεύομεν, φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος, διευθετήσῃς αὐτὴν πρὸς τὴν ἐκείνου σεβασμιωτάτην μακαριότητα, καὶ ζητήσῃς ἀντίγραφον, καὶ ἀποστείλῃς πρὸς ἡμᾶς *Caeterum antea, initio pontificatus mei, litteras commendatitias dedi ad beatiſſimum Papam Romae, easque per quendam, qui ex ſolemni voto Hieroſolymam proficiſcebatur, miſi ad clariſſimum magiſtrum & ducem Italiae Argyrum, ut dirigeret ad ſanctitatem ejus. Quo ex tempore elapſum eſt biennium: nec de illis potui quicquam comperire. Et ecce iterum has deſcribens, miſi ad tuam in Deum dilectionem, ut propter amorem noſtri, ſeu potius propter Deum, ob quem, & pro quo epiſtola eſt, Pro Chriſto enim legatione fungimur, inquit divinus Apoſtolus, efficias, ut ad maxime venerandam illius beatitudinem perducatur, ſimulque petas, reſpondeatque ſcripto, quod mittas ad nos.* Deprehendimus his in litteris, primo documentum, epiſcopos orientales auctoritatem pontificatus non conceſſiſſe ſoli epiſcopo Romano, ſed ſuam, tui praefuerunt, ſedem epiſcopalem appellaſſe ἀρχιερωσύνην, ſeu pontificatum. Porro obſervamus, epiſcopos ſuos, quibus faverunt, clericos abituros, litteris adauxiſſe commendatitiis, ut non ſolum libere reciperentur, ſed & ad epiſcopos maximae auctoritatis, nec non ad ſacra accedendi gauderent poteſtate. Tam difficilia & ardua non ſunt interpretum, circa has litteras commendatitias, ſententiarum divortia, ut conciliari nequeant. Id ſine ſcrupulo donari poteſt ARISTENO, aliisque canonum antiquiſſimorum indagatoribus, litteras commendatitias quoque in auxilium clericorum eſſe datas. Ita nimirum commendatitia epiſtola ſignificat fidei & vitae teſtimonium, quo peregrinus erat augendus, ne aliis de ſe ipſo adferret ſuſpicionem. Confirmare mihi videntur hujus concilii praeſules in canone XIII. meam ſententiam. En canonem ipſum: *Peregrinos clericos & lectores in alia civitate, praeter commendatitias litteras ſui epiſcopi, nusquam penitus miniſtrare debent.* o) Qui concilii Chalcedonenſis canon antiquiſſimus, quas appellare amant Romanenſes Apoſtolicas, confirmari poteſt conſtitutionibus, & quidem canone XXVI. qui ita eſt conſtructus: Μηδένα τῶν ξένων ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων, ἄνευ συστατικῶν γραμμάτων προσδέχεσθε, i. e. *nullum epiſcoporum*

o) vid. Harduin. l. c. p. 607.

rum aut presbyterorum aut diaconorum ſine commendatitiis litteris recipite. p)

§. LXXIV.

At quoniam fragile & lubricum eſt, de his conſtitutionibus apoſtolicis, virorum emunctae naris judicium, & ſaltem id certum, recentioris illas eſſe aetatis, quod ex ipſorum decretis pateſcit; libet, antequam huic argumento finem imponam, ad concilii MILEVITANI II. canonem XX. provocare, qui ita eſt conſtructus: *Placuit, ut, quicunque clericus propter neceſſitatem ſuam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab ipſo epiſcopo accipiat. Quod ſi ſine formata voluerit pergere, a communione removeatur.* q) A quo non diſſidet canon Concilii AGATHENSIS, ſecundum quem, *clericis ſine epiſtolis commendatitiis epiſcopi ſui licentia non patet evagandi.* r) Accedit Concilii VENETICI canon V. qui hanc evulgavit legem: *Clericis ſine commendatitiis epiſtolis epiſcopi ſui licentia non pateat evagandi, & omni loco, ad quem ſine epiſtolis epiſcopi ſui, ut dictum eſt, venerit, in communione habeantur alieni.* s) Quos canones Romanenſes in Concilio TRIDENTINO ob oculos habuerunt poſitos, hunc in modum ſtatuentes: *Nullus clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui ordinarii litteris, ab ullo epiſcopo ad divina celebranda & ſacramenta adminiſtranda admittatur.* t) Sat teſtimoniorum, quae nos edocere poſſunt, hoc litterarum commendatitiarum genus ad clericos, hominibus honeſtioris conditionis non excluſis, omnino ſpectaſſe. Nucleus horum, ſi recte judico, canonum ad duas redit cauſſas, quarum *altera* eſt fidei vitaeque purioris teſtimonium, *altera*, propenſa emolumenti & hoſpitii benignioris conciliandi ratio. Utraque teſſera clerici peregrinationes ſuſcipientes erant adornandi, & illa deſtituti non temere admittendi. Ubi enim illos hoc defecit teſtimonium, verendum erat, ne aliquid monſtri alerent, & falſae doctrinae diſpergerent ſemina. Adimenda provide erat eccleſiis, ad quarum accedebant limina, ſuſpicio. Porro hac nota erant mactandi, ut ea, quae viris de re eccleſiaſtica bene merentibus competunt, in ipſos effunderentur beneficia, benigniusque

 ceteris

p) vid. Coteler. Patr. Apoſtolic. Vol. I. p. 441. ſeq.
q) vid. Harduin. Act. Concil T. I. p. 1220.
r) vid. Ejusd. Tom. II. p. 1002.
s) vid. Ejusd. Tom. II. p. 797.
t) vid. Concil. Tridcnt. Seſſ. XXIII. Cap. XVI. apud Heidegg. Tom. II. p. 321.

Digitized by Google

ceteris advenis gregariis haberentur. Quin & ipſi hi canones in noſtra adhuc aliquo modo vigent eccleſia. Nulli enim, niſi cujus vires & ſtudia antea exploravit ſacrorum antiſtes, & cum teſſera adornavit, ſuggeſtum ſacrum aſcendere fas eſt, quod in corpore Juris eccleſiaſtici Saxonici u) plus una inculcatur vice. Periculum enim eſt, ne, ſi viris ignoti nominis ſermonem pro roſtris ſacris habendi concedatur facultas, errores in auditores diſſeminentur, aut alia haud levia in ſacri coetus detrimentum inde ſubnaſcantur incommoda. Quin imo nec ipſis ſacro officio jamdudum initiatis, falcem in alienam meſſem mittere, & ſine praeſcitu parochi, ſermonem pro roſtris ſacris habere, & ſacris fungi officiis, in aliena parochia licitum eſt, ne ἀλλοτριοεπισκοπίας ſe contaminent macula. Quod nunc ad vocem ὑπολήψεος ſpectat, prorſus haeſito, nec illam de viris gravi quadam macula adfectis ſolum ſumendam eſſe cenſeo: quia laudatus canon diſertis verbis inter vilioris & beatioris ſortis peregrinos diſtinguit. Pauperibus tantum litteras concedit *pacificas*, ſed *commendatitias* iis, qui honeſtioris ſunt conditionis, vindicat. Satis ſobrium eſt laudati ALBASPINAEI judicium, quo τοῖς ἐσιν ἐν ὑπολήψει perſonis, his litteris inſtructis, inſignis attribuitur dignitas, *quae ſumtibus eccleſiae alebantur, & longe lautius ac curioſius excipiebantur, prae his, qui tantum pacificas, aut communicatorias adferebant.* x)

§. LXXV.

At ne mordacius de hoc canone explanando diſputare videar, largiar cum B. IOACHIMO HILDEBRANDO, y) has litteras commendatitias datas eſſe *primo* clericis depoſitis, ſed iterum ad ordinem ſacrum vocatis; *ſecundo*, poenitentibus, ſeu iis, qui cum eccleſia redierunt in gratiam, *tertio*, emigrantibus, ut in familiam ſacram reciperentur, *quarto*, illis, qui in foro ſe inſontes demonſtrarunt. Evaneſcit nunc ſiniſtra hujus canonis expoſitio, & ſingularis quaedam his litteris commendatitiis conciliatur auctoritas. Nec mea cado cauſa, ſi concedo, litteras commendatitias, etiam viris, qui in ſuſpicionem venerant, eſſe adhibitas, qualis fuit Paulli epiſtola ad PHILEMONEM ONESIMO data; nihilominus res plana eſt,

u) vid. Corp. Jur. Eccleſiaſt. Sax. general. Art. III. p. m. 15. & admonit. ad paſtor. Art. III. p. 320. nec non Synod. general. decret. p. 367.

x) vid. Ej. Not. ad h. Canon. p. 367.

y) vid. Ej. Hiſt. Concil. N. F. ad Secul. V. p. 136.

Digitized by Google

eſt, etiam peregrinantibus, quibus nulla malae famae inuſta fuit labes, has datas eſſe, ad beneficium liberius iis ſubminiſtrandum, litteras, quas dixi, commendatitias. Quibus litteris commendatitiis Romanus Epiſcopus, ejusque proceres, aut monaſteriorum Abbates & praeſides, monachos iter inſtituentes, noſtra quoque aetate, adaugent, ut a ſuae profeſſionis ſociis, & clauſtrorum curatoribus benigne excipiantur, & comiter habeantur. Haud improbanda eſt haec primitivorum Chriſtianorum conſvetudo, quae mutuum indicat pietatis & amoris ſtudium, quod ſanctiſſimi Novi Foederis conditores nobis ſedulo commendant. Si enim, quod nemo, niſi male feriatus, & infrunitus negaverit, omnes fideles arctiſſimo juncti ſunt unionis vinculo, ſequitur, mutuum amoris officium, quo noſtris opibus aliorum ſublevamus inopiam, non eſſe negligendum. Deſiit nunc in noſtra eccleſia hoc publicum hoſpitalitatis jus. Ne tamen omni nervo & auxilio privarentur exules & advenae, conſtitutum eſt, ut ex aerario ſacro publico ſtipem pro conditione recipiant, imo etiam quandoque quotannis recipiant. Inde eleemoſynae ad alendos exules & converſos plus una vice in anno, diebus videlicet ſolemnibus, quibus per deprecationes publicas cum Deo redimus in gratiam, in noſtris colliguntur templis. Proſpexerunt jamjam patriae noſtrae patres, principes optimi, his ob religionem in exilium pulſis de auxilio, ut nonnulli annuis alantur ſtipendiis, alii ex ſacri ſenatus aerario viatico adaugeantur z) ſatis largo. At illuſtrius aliquod hujus hoſpitalitatis, quam peregrinis noſtrae religionis debemus confeſſoribus, teſtimonium in vado eſt. Imis adhuc defixa eſt animi medullis SALISBVRGENSIVM exulum ſors, qua patriae fines & dulcia, ob fidei Lutheranae confeſſionem, reliquerunt arva, & novas quaeſiverunt ſedes. Inaudita & incredibilis fuit benignitas, qua hi extorres, quibus interdictum erat patriae aditu, & bonorum ſuorum uſu, in omnibus, quas emenſi ſunt longo & difficili itinere, regionibus ſunt excepti. Non opus erat litteris commendatitiis, ipſorum enim fides, fidei confeſſio, rerum jactura, vinculorum ſigna, ſumma inter tot infrunitorum hoſtium cavillationes & vexationes, animi conſtantia, innocentia, fiducia denique & ſpes in rebus tam incertis & fluctuoſis firmiſſima, hos SALISBVRGENSES exules nobis de meliori commendarunt. Nullus a mutuo, qui his piis advenis adhibendus erat, amore, nedum humanitate & miſericordia

z) vid. Cod. Auguſt. Tom. I. p. 1850.

cordia fuit adeo alienus, ut illos ſuo auxilio beneficioque judicaret indignos, ut potius larga manu ſuas opes in hos veritatis Lutheranae teſtes profunderet. Nec divites ſolum, ſed & illi, quibus curta eſt ſupellex, & qui alias ad rem ſunt attenti, profuſos in SALISBVRGENSES hoſpites fecerunt ſumtus, quod ſingulare hoſpitalitatis documentum antiquum primitivorum Chriſtianorum redolet amorem inſtitutumque.

§. LXXVI.

Periculoſae nunc aleae rem adgredior, argumentum de *forma*, characteribus, ſignis & notis, quibus litteras & communicatorias & commendatitias adornatas eſſe, haud obeſae naris viri adſerunt, ulterius pertractaturus. Illis videlicet eſt perſvaſum, ne harum litterarum commendatitiarum ſubverteretur auctoritas, providam adhibuiſſe Patres & Epiſcopos curam, ut illas notis & characteribus inſignirent, quo de veritate illarum epiſcopis exteris, quibus offerebantur, accurate conſtaret. Quod litterae formatae a forma ſive *externa* ſive *interna*, ſive denique ab *utraque* nomen ſint ſortitae, nullus prorſus eſt inter hiſtoricos diſſenſus. Hoc ſaltem in argumento variant, uti obſervat cl. IO. GEORG. PERTSCHIVS, a) quod alii formam tantum internam, alii vero, praeter eam, externam quoque urgeant. Praeter enim ſigna, characteres & litteras arcanas, acceſſiſſe putant ſigna externa, in chartis, forma, inſcriptione, & ſigillo conſpicua, quam ſententiam defendit DODWELLVS. Nec immerito hanc litterarum communicatoriarum formam obſervant Critici, dum hujus opinionis indicium tradit CYPRIANVS b) haud levidenſe. Meminit CYPRIANVS in epiſtola ad presbyteros, & diaconos Romanae eccleſiae emiſſa, perlatas eſſe per CLEMENTIVM hypodiaconum litteras, quibus ſciſcitabantur illarum conditores, utrum rumor de exceſſu FABIANI verus eſſet, nec ne? At obvia fuerunt quaedam dubia CYPRIANO, ut de ipſius epiſtolae fide ambigeret, inde haec monet: *Legi litteras, in quibus, nec qui ſcripſerint, nec ad quos ſcriptum ſit, ſignificanter expreſſum eſt. Et quoniam me in iisdem litteris, & ſcriptura, & ſenſus & chartae ipſae quoque moverunt, ne quid ex vero vel ſubtractum ſit, vel immutatum; eandem ad vos epiſtolam authenticam remiſi, ut recognoſcatis,*

a) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. ad Sec. II. Cap. V. §. XXXVI. p. 165. & Sec. III. Cap. III. §. VII. p. 143.

Digitized by Google

ſcatis, an ipſa ſit, quam Clementio hypodiacono perferendam dediſtis. b) Uſum harum litterarum formatarum hoc aevo jamjam extitiſſe, haec CYPRIANI epiſtola perapte confirmat. Scrupulum ſcribendi ratio ſaltem & interna & externa CYPRIANO movit, utrum ſit vera, & fide digna. Sed RIGALTIUS c) rem hoc mitigat argumento, quo aſſerit, quaedam formae requiſita ex cautione inter pericula perſecutionis DECIANAE eſſe praeterita. Hinc illa CYPRIANI ſuſpicio. Non defuerunt primis, poſt exantlatas Chriſtianorum vexationes, ſaeculis homunciones, qui, abjectis in ſinum manibus, hoc titulo abuſi, Chriſtianorum ſumtibus erant alendi. Putatitii Chriſti aſſeclae, paupertatem ementiti, fruges conſumere, & numerum facere nati, ſuam curarunt cuticulam, & Chriſtianos in diſtribuendis beneficiis admodum largos male defraudarunt opibus. Premunt horum erronum & Gnathonicorum veſtigia, putatitiae pietatis praecones, fratres MORAVIENSES, & hujus nominis & ſocietatis inquilini, qui exuſtis ſuis, tam largitionibus, quam deſidia, opibus fratrum ſuorum ſumtibus aluntur. Qui, ſi laborare, & olus prandere vellent, aliorum opibus uti nollent. Quo igitur his deſidioſis & maleferiatis Chriſtianis ponerent obicem patres, ipſis nihil videbatur aptius, litteris, certis characteribus notatis, ex quibus epiſcopi intelligerent, quales eſſent offerentes?

§. LXXVII.

Filo quaſi Ariadneo haec CYPRIANI epiſtola ad duo capita, in hoc, quod hactenus de litteris formatis, tractavimus, argumento non negligenda, ducimur, quorum *alterum* eſt ſalutatio, & inſcriptio in his litteris eccleſiaſticis conſveta, *alterum* autem tabellariorum, quibus haec provincia in primitiva eccleſia fuit demandata, ratio. De utroque momento agemus. In primordiis ſuarum litterarum eccleſiaſticarum ſalutationem praemittere, aequum duxerunt epiſcopi, apoſtolorum imitati conſvetudinem, qua nervoſa & amoris plena in ſuis, quas ad eccleſias emittebant, litteris, ſalutatione praefati ſunt, quod omnes docent epiſtolae. Sufficit Paulli ſalutationem in epiſtola ad Romanos adduxiſſe: *Omnibus*, ſcribit, *qui Romae eſtis, Deo caris, vocatis, ſanctis, gratiam & pacem a Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.* Cap. I. v. 7. ut alias, quae facili opera evolvi poſſunt,

b) vid. Ej. Epiſtol. IX. p. m. 18.
c) vid. in Not. ad h. l. p. 19.

ſunt, litterarum apoſtolicarum omittam ſalutationes. Nec ſilentio involvendum eſt, illum ipſum gentium doctorem, nulli apoſtolorum ſecundum, hanc ſalutationem teſſerae quaſi poſuiſſe loco, ut ſuis auditoribus de veritate ſuarum litterarum certiſſime conſtaret. *Salutatio*, ſcribit, *mea manu Paulli, quod ſignum eſt in omnibus epiſtolis. Ita ſcribo: gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cum vobis omnibus. Amen.* 2. Theſſ. III. 17. 18. Eandem ſalutandi rationem poſtea obſervarunt primitivi patres, IGNATIVS, POLYCARPVS, aliique, quod vel inſcriptio epiſtolae Smyrnenſis ſupra expoſitae confirmat, quae ita eſt conſtructa: d) *Eccleſia Dei, quae habitat Smyrnam, Eccleſiae Dei, quae apud Philadelphiam diverſatur, & omnibus ubique terrarum ſanctae & catholicae eccleſiae paroeciis, miſericordia, pax, & caritas, a Deo patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, multiplicetur.* Nullum hic eſt diſſidium, quia rerum adſunt teſtimonia in patrum epiſtolis obvia, & vel praetextatis nota. Notatu vero hoc dignum eſt, praefixiſſe quandoque patres ſuis epiſtolis ſignum crucis, quod ipſis in rebus ſacris agendis potiſſimum fuit in pretio. Aſt ea, quae hujus ritus adfert ſaepe laudatus FRANCISC. BERNHARDIN. FERRARIVS e) documenta, recentiorem omnino produnt aetatem. Crucis ſignum etiam appendicis addiderunt loco, ſed monumenta, hac illuſtri clauſula notata, omnino ſunt recentiora, quod non inficiatur FERRARIVS. Patres inprimis Graeci tribus uſi ſunt crucis ſignis. Neque inſolens fuit, litterarum initia litteris A & Ω facere, ut teſtatum facerent epiſcopi, a Chriſto principium & finem omnium rerum eſſe faciendum, quod poſtea edocebo. Reliquum eſt, ut alteri capiti paucis manum admoveam. Meminit CYPRIANVS CLEMENTII hypodiaconi, qui litteras Romae datas ipſi tradiderat. Antiquiſſima rei eccleſiaſticae documenta manifeſte docent, non cuivis homini, ſed viris ſpectatae fidei & integritatis has litteras perferendas eſſe traditas. Ita nimirum in epiſtola S. IGNATII ad Philippenſes EVPHANIVS lector; & in epiſtola ad Philadelphienſes, BVRGVS, nec non in epiſtola St. Polycarpi ad Philippenſes CRESCENS, indefeſſi appellantur litterarum tabellarii. Diffluunt hujus rei documentis St. CYPRIANI & HIERONYMI epiſtolae, in quibus SATVRVS lector, OPTATVS confeſſor, CLEMENTIVS Hypodiaconus, CYPRIANVS diaconus, SISINNIVS, &

d) vid. apud Coteler. l. c.

e) vid. Lib. cit. III. Cap. II. p. 170. ſeq.

Digitized by Google

& alii nobis laudantur tabellarii, quod bene monuit FERRARIVS. f) Nemo non ſcit, diaconorum operam in primitiva eccleſia in officiis epiſcopis in templo praeſtandis, nec non litteris perferendis, fuiſſe inſignem, ut BALTHASAR BEBELIVS g) ſcite tradit. Longe inferior fuit diaconorum in primitiva eccleſia conditio, diaconorum ſorte noſtra aetate, quia cuſtodum, aedituorum & ludimagiſtrorum propemodum functi ſunt partibus. Eſt, ni fallor, hujus conſvetudinis veſtigium in nonnullis locis reliquum, dum aeditui, & cuſtodes litteras Antiſtitum ſuorum circulares, quas vulgo *miſſivas* dicere amamus, perferre ſolent, & ſtipe aliqua ex aerario ſacro recreantur. Sed revertor ad inſtitutum, harum litterarum formam penitius inveſtigaturus.

§. LXXVIII.

Quantum ex ATTICI, epiſcopi Conſtantinopolitani, epiſtola perſpicimus, in SYNODO NICAENA conſilium de litterarum formatarum conficiendarum modo & ratione eſt initum, de quo tamen argumento in utramque diſputatur partem. Placet ATTICI ex actis conciliorum totam adferre epiſtolam, ut hujus inſtituti rationem uno quaſi oculo perſpiciamus: *Graeca*, inquit ATTICVS epiſcopus, *elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter graeci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epiſtolis canonicis, quas mos latinus formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temere praeſumeretur, hoc a patribus CCCXVIII. Niceae congregatis, & ſaluberrime inventum eſt & conſtitutum, ut formatae epiſtolae hanc calculationis ſeu ſupputationis habeant rationem, id eſt, ut aſſumantur in ſupputationem prima graeca elementa Patris & Filii & Spiritus Sancti, hoc eſt* Π. Υ. Α. *quae elementa octogenarium & quadringenteſimum & primum ſignificant numerum. Petri quoque apoſtoli prima littera, id eſt* Π, *quae numerum octoginta ſignificat. Ejus quoque, qui ſcribit, epiſcopi prima littera, cui ſcribitur ſecunda, accipientis tertia, civitatis, de qua ſcribitur, quarta, & indictionis, quaecunque eſt id temporis, idem qui fuerit numerus, aſſumatur. Atque ita his omnibus graecis litteris, quae, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam,*

f) vid. l. c. Cap. IV. p. 187. ſeq.

g) vid. Antiquitat. Eccleſiaſt. Tom. I. Saeculi III. Artic. II. de miniſterio Eccleſiaſt. §. 16. p. 538.

Digitized by Google

quaecunque collecta fuerit, ſummam epiſtola teneat. Hanc qui ſuſcipit, omni cum cautela requirat expreſſe. Addat praeterea ſeparatim in epiſtola nonagenarium & nonum numerum, qui ſecundum graeca elementa ſignificat AMEN. h) Delibanda nunc eſt haec ATTICI epiſcopi epiſtola, & indagandum, utrum hoc inſtitutum Concilio Nicaeno ſuos debeat natales, nec ne?

§. LXXIX.

Facilius Cretenſium, quam graviſſimorum hiſtoricorum de hac ATTICI Epiſcopi epiſtola enata, conciliabis diſſidia. Admoveamus itaque huic argumento, multis griphis obnoxio, arietem. Viri in re hiſtorica ſagaciſſimi, non ſine gravi ratione, illam, de qua agimus, epiſtolam ſubleſtae eſſe fidei, arbitrantur. Traditur enim in hac epiſtola aliquod Concilii Nicaeni primi inſtitutum, quod neque in canonibus ipſis, neque in documentis vetuſtiſſimorum de hoc Concilio ſcriptorum, quos inter eſt GELASIVS CYZICENVS, neque tandem in actis hujus concilii, ullo verbulo commemoratur. Hoc enim eſt, quod ex oculis minime dimittendum. Si enim BARONIO, & aliis concredimus, Patres Nicaenos nullum hocce de inſtituto evulgaſſe canonem, ipſis demonſtrandum eſt, extare in actis hujus concilii veſtigium, quod ut ex latebris protrahant, enixe deſideramus. At enim vero vix credibile eſt, alios epiſcopos & ſcriptores hoc praeteriiſſe momentum, commemoratione non indignum. Redolet, quantum poſtea explicabimus, ipſa, quae ATTICO, epiſcopo Conſtantinopolitano, attribuitur, epiſtola non Concilii NICAENI tempora, ſed recentiorem aetatem. Subit propemodum animum dubium, qua fiat ratione, ut nullus ſcriptor hiſtoricus hujus epiſtolae fecerit mentionem. Recenſet SOCRATES ejus epiſtolam ad CALLIOPIVM, eccleſiae Nicaenae presbyterum, & ATTICI profuſam largamque in pauperes ex illa epiſtola commendat curam, i) ſed hujus, de qua litigamus, epiſtolae, ne vola quidem adeſt. Quid? quod admirationem auget, ipſe ATTICVS omne, quod in ſuppoſititia epiſtola traditur, prorſus aufert diſcrimen, & CALLIOPIO haec demandat: *Porro cum dabis, nullam religionis, in hac quidem parte, rationem habeas, id unum ſpectans, ut eſurientes paſcas, non ut* *eos*

h) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. V. p. 1454.
i) vid. Socrat. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. VII. cap. XXV. p. 382. edit. Valeſ.

Digitized by Google

eos diſcernas, qui a noſtra religione ſunt alieni. k) Evolvi ſedulo Du PINIVM l) CAVEVM m) FLEVRIVM n) GRANCOLASIVM o) & TILLEMONTIVM, p) quos inter nullus eſt, qui praeter epiſtolam ad CYRILLVM ALEXANDRINVM, ad CALLIOPIVM, EVPSYCHIVM, & fragmentum homiliae in natalem Domini, hanc admittat epiſtolam.

§. LXXX.

BARONIVS q) autem omni ſtudio has ATTICI epiſcopi defendit litteras, & eas cedro judicat dignas. Fidum ſententiae ſuae aſſertorem & aſſeclam habet BARONIVS, IOANNEM CABASSVTIVM, r) qui ſtatuit, hanc epiſtolam de litteris formatis, veluti exemplar aliquod juxta Nicaenum decretum transmiſiſſe ATTICVM, Conſtantinopolitanae eccleſiae praeſulem, ad AVRELIVM, Carthaginis epiſcopum. Ipſi eſt perſvaſum, conſilio miſiſſe ATTICVM hanc appendicem ad canones Nicaenos, hactenus non evulgatam, ut patres concilii Carthaginenſis ſexti hanc, in re eccleſiaſtica gerenda, ſequerentur formam. Non omni caret naſſa haec CABASSVTII conjectura, quam mallem robore veritatis firmaſſet. In aprico enim eſt, haud breve concilium NICAENVM inter & concilium CARTHAGINENSE VI. occurrere ſpatium, nec ullum hujus decreti in concilio NICAENO obvium eſſe documentum. Concilium enim NICAENVM ad annum Chriſti CCCXXV. CARTHAGINENSE vero ſextum ad annum Chriſti CCCCXIX. ſub epiſcopo AVRELIO, hujus nominis XVIII. demum redit. Vix autem veri ſpecies adeſt, totum intra propemodum ſaeculum nihil de hoc ritu, in concilio NICAENO tradito, a patribus eſſe evulgatum, praeter hanc, quam debemus ATTICO epiſcopo, hujus rei notitiam. Nullum porro harum litterarum formatarum legitur documentum, neque GELASIVS CYZICE-

k) vid. l. c.
l) vid. Nouvelle Bibliotheq. des Aut. Eccleſiaſt. T. V. p. 1. ſeq.
m) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſtic. ſcriptor. Lit. ad Sec. V. p. 346.
n) vid. Hiſtoire Eccleſiaſtique Tom. V. Liv. XXII. p. 267. & Liv. XXIV. p. 582. Bruxell.
o) vid. Critique des Ouvrages des Aut. Eccleſiaſtiq. Tom. I. p. 405. a Paris.
p) vid. Memoir. Hiſt. eccleſiaſt. Tom. III. Partie troiſ. p. 104. ſeq.
q) vid. Ej. Annal. Tom. III. ad Ann. 325. §. CLXVI. p. 565.
r) vid. Ej. Notit. Eccleſiaſt. Secul. II. p. 32.

Digitized by Google

NVS, qui multas de Concilio Nicaeno tradidit eccleſiaſticas formas & ceremonias, illarum fecit mentionem. Inde non ſine ratione acutus NATALIS ALEXANDER s) SAMVEL BASNAGIVS t) & DAVID BLONDELLVS u) hanc, de qua concertamus, ATTICI epiſtolam fictitiis ſuppoſititiisque adſcribunt teſtimoniis. Feliciſſimus rerum antiquarum venator BLONDELLVS belle monet, hanc ATTICI epiſtolam Graecis prorſus fuiſſe ignotam, neque in Collectionibus MARCVLPHI, CRESCONII AFRICANI, DIONYSII EXIGVI aliorumque ſcriniis extitiſſe, ſed ISIDORVM mercatorem, ſeu potius peccatorem, hunc foetum extruſiſſe. Neque ſcribendi genus viro, qualis fuit ATTICVS, excellenter docto, neque lacinia illa nominis Petri reſpondet. Dubium ſane eſt nullum, quin monachus ſportula Romanorum Pontificum quotidiana adauctus, & forte ISIDORVS Mercator hoc ATTICI nomine ſatis impudenter ſit abuſus, & in gratiam ſpuriorum Petri ſucceſſorum mercede conductus, hanc ſuppoſuerit finxeritque epiſtolam.

§. LXXXI.

Mordet hoc purpuratum BARONIVM & FERRARIVM, qui rem ad ſalutem convertere, & dubium his rationibus amoliri intendunt. *Primo* regerit FERRARIVS, x) canones Concilii Nicaeni complures extitiſſe, ſed ab Arianis fuiſſe combuſtos, & viginti tantum ad noſtram perveniſſe aetatem canones. At enim vero haec propudioſa, quam JOSEPHVS quidam Aegyptius, ALPHONSVS PISANVS, FRANCISCVS TVRRIANVS, ABRAHAM ECCHELLENSIS, BINIVS, LABEVS, & alii praeſidiarii Petrinae ſedis vacillantis milites produnt, opinio jamdudum ab EDMVNDO RICHERIO devicta, a B. noſtro ITTIGIO y) novis argumentis eſt infirmata. Demonſtravit enim ITTIGIVS, immortalis memoriae theologus, ex THEODORETO, GELASIO, & HINCKMARO RHEMENSI, plures non extitiſſe canones, quum CAECI-

s) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Tom. IV. ad Secul. IV. Diſſertat. XVIII. p. 249.

t) vid. Ej. Annal. Polit. Eccleſiaſt. Tom. II. p. 779.

u) vid. Traitté de la Primauté en l' Egliſe Continuation de la Replique Sect. XV. §. I. p. 467. ſeq.

x) vid. cit. Lib. I. Cap. IV. p. 9. ſeq.

y) vid. Ej. Hiſtor. Concil. Nicaen. §. LXI. LXII. p. 63. ſeq.

Digitized by Google

CAECILIANVS Carthaginenſis, qui concilio Nicaeno interfuit, non plures, quam viginti in Africam attulerit canones. Diluit porro dubium a RVFINO ortum, qui ſextum & octavum canonem male diviſit. Sic *primum*, quod nobis opponitur, facile corruit argumentum. Nemo enim ſibi perſvadebit, ATHANASIVM, CAECILIANVM, & alios Epiſcopos, qui hoc frequentarunt concilium, eſſe paſſos, vel unicum, per fraudem & rabiem Arianorum, intercidere canonem, quem tanquam oculati teſtes facile reſtituiſſent. Res non in conſpectu unius, ſed plurimorum epiſcoporum eſt tractata. Quin imo Patres hujus concilii fuerunt tenaciſſimi defenſores, ita quidem, ut illius acta & canones plus oculis ſuis amarent, & pro norma per multa admitterent ſaecula. Quod ſi Ariani varia hujus concilii acta & exemplaria expunxiſſent, & abſtuliſſent, nemo tamen ſtatuet, illos omnia exemplaria exſtirpare potuiſſe, quod provida primorum Patrum & Epiſcoporum cura fieri minime permiſit. *Alterum* argumentum, quod adfert BARONIVS, z) eſt: hunc canonem ſeu decretum concilii Nicaeni de his litteris formatis non eſſe evulgatum, ne haeretici iisdem litteris & characteribus uterentur, ſed veluti arcanum apud Epiſcopos retentum, ut illi fidei haberent teſſeram, & formam, ſecundum quam peregrinos explorare poſſent.

§. LXXXII.

Reuoluamus hanc BARONII ratiunculam, eamque inveſtigemus penitius. Haud inficiamur, hoc ſaeculo providam ab epiſcopis adhibitam fuiſſe curam, ne verſipelles, & atro jamjam notati carbone Chriſtiani in eccleſiam irruerent, & Chriſtianae eccleſiae turbarent circulos. Tantum itaque abeſt, ut penitus negemus, extitiſſe hoc ſaeculo litteras formatas ad dignoſcendos exteros, quod jam largiti ſumus, ſed de eo tantum ambigimus, utrum haec, quam ATTICVS tradidit, litterarum pacificarum & communicatoriarum forma a Patribus Nicaenis ſit tradita. Indubitata res eſt, haereticos ſaeculi quarti hoc obſervaſſe inſtitutum, ut litteras obſcuris characteribus inſignitas ſubminiſtrarent ſuae haereſeos aſſeclis, quo in ſuam reciperentur coronam. De EVNOMIANIS hunc morem nobis refert SOZOMENVS, adferendo: *Nefas eſt apud illos, orare cum illis, qui aliunde adveniunt abſque litteris, quae illos ſuae communionis*

z) vid. l. c.

Digitized by Google

nionis eſſe teſtantur, per notas quasdam litteris inſcriptas, quae reliquis ignotae ſunt. a) Ex hoc SOZOMENI documento tuti colligimus, habuiſſe hujus haereſeos profeſſores ſua ſymbola & litteras, ſingularibus notis & characteribus expreſſas, ex quibus ſuae ſocietatis dignoſci potuerint alumni. At de purioris Eccleſiae doctoribus nihil conſtat, quod hanc in litteris communicatoriis conſcribendis obſervarint conſvetudinem, ex Concilii Nicaeni decreto accurate tenendam. Et ſi haec litteras formandi ratio in ipſo concilio fuiſſet tradita, illa non effugere poterat ARIVM, ejusque ſocios, qui illi interfuerunt. Arcanum fruſtra fingitur: quia brevi temporis intervallo totus propemodum orbis fuit ARIANVS, adeo quidem, ut non pauci Epiſcopi ad illorum acceſſerint partes, qui illud myſterium procul dubio prodidiſſent. Porro, ſi acta hujus concilii adverſariorum manus effugere non potuerunt, ille ipſe, de quo agitur, canon Arianos quoque latere non poterat. Qua igitur fide & auctoritate ATTICVS Epiſcopus rem ſatis detritam, & Arianis abunde notam, Carthaginenſibus pro arcano vendere poterat? Dic, ſodes, quem uſum habiturae fuiſſent illae litterae arcanae, quarum ſigna noverant Ariani? Dubio proinde caret omni, ante ſaeculum octavum & nonum, litteras his characteribus notatas non offendi. Illas enim, quas adferunt HARDVINVS b), IO. MABILLONIVS c), & SIRMONDVS d) ab EBROINO BITVRICENSI ad MAGNONEM SENONENSEM, WOLFEONE CONSTANTIENSI ad BERNALTVM ARGENTARIENSEM, IOANNE EPISCOPO CAMERACENSI, ad omnes epiſcopos, REGEMBERTO VERCELLENSI ad ANDREAM MEDIOLANENSEM, litteras formatas ſaeculum nonum & hoc recentiora ſibi vindicant. Proinde non videntur Patres Graeci, ſed Latini, hoc novum ſcribendi genus excogitaſſe, quia in Graecorum Patrum litteris haec ſcribendi exulat ratio, quum tamen illam, ut antiquitatum & ſuorum doctorum tenaciſſimi, non omiſiſſent, ſi illarum litterarum origo a Patribus Nicaenis foret repetenda, quod varia formatarum litterarum exempla·

a) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. VII. cap. XVII. p. 303. edit. Valeſ.

b) vid. Act. Concil. Tom. V. p. 1454. ſeq.

c) vid. Muſ. Ital. Tom. V. Part. II. p. 240. edit. Pariſ.

d) vid. in Not. ad Concil. Gall. Tom. II. p. 66. ſeq.

Digitized by Google

emplaria a LARROQVANO e) collecta & adſervata evidenter probant.

§. LXXXIII.

Aſt enim vero, quia jam alea jacta eſt, placet paucis de hac occulta ſcribendi ratione agere, eo potiſſimum fine & omine, ut demonſtremus, eam ſaeculo, quo Concilium NICAENVM celebratum eſt, quarto, minime fuiſſe Chriſtianis uſitatam. Non inficiamur, Hebraeis & Graecis fuiſſe ſolemne, certis litteris, nutu quaſi & pondere gravidis, arcana ſua tradere, partim ut myſteria ſua hoc modo occultarent, & indagandi ea relinquerent deſiderium, partim, ut in rebus gerendis his ſanctioribus litteris negotium pertractandum tanquam involucris involverent, ut, ſi forte intercciderent, nemini, niſi illi, qui hoc ſcribendi genere erat inſtructus, eſſent perviae. Neminem niſi antiquitatibus Graecorum tenuiter imbutum fugiunt Scytalae Laconicae, pervetuſtum & arcanum litterarum clandeſtinarum apud Lacedaemones genus, quo uſi ſunt ad imperatores ſcripturi Duo nimirum fuerunt ſurculi, ſive bacilli ejusdem longitudinis & craſſitiei, quorum unum imperator in caſtris degens ſecum habuit, alterum magiſtratus domi retinuit. Circa hunc bacillum reipublicae praeſules ſuas membranas inſtar lori paratas circumplicuerunt, & hanc ſcytalam in rebus ad imperatorem deferendis per tabellarium emiſerunt. Transverſo praeterea ordine, & litteris arcanis epiſtola fuit exarata, ut ſi vel maxime talis ſcytala in manus hoſtium incideret, nihil rei agendae tamen inde colligere poſſent. Hujus rei documenta, & ſcytalae Laconicae formam nobis, praeter GVIDONEM PANCIROLLVM, LVDOV. CHRISTIANVS CRELLIVS f) ex primis rerum graecarum fontibus produxit, quem adiiſſe non poenitebit. Proſtant ex Hebraeorum documentis apud BVXTORFFIVM, g) ex Graecorum litteris, apud MONTEFALCONIVM, h) ex Romanorum fragmentis, apud BACONVM de VERVLAMIO, i) & ex Palmyrenorum ueteri litteratura apud JAC. RHENFERDIVM k) ſatis evicta hujus rei

V litera-

e) vid. Ej. Adverſar. Sacr. p. 541.
f) vid. Ej. Diſſertat. de Scytala Laconic. §. XI. edit. Lipſ. 1697.
g) vid. Ej. Lib. de Abbreviat. Hebr. p. 26.
h) vid. Ej. Palaeograph. Graec. Lib. IV. cap. V. p. 285.
i) vid. Ej. Lib. VI. de augm. ſcient. cap. VI. p. m. 149.
k) vid. Ej. Pericul. Palmyrenum in Op. Philolog. p. 116.

Digitized by Google

documenta Addi meretur MOYNIVS, l) qui prolixa admodum opera demonſtravit, in numero congregatorum Patrum in concilio Nicaeno litteris graecis T. I. H. patres ridiculum quaeſiviſſe myſterium in ſervis Abrahami praedictum. Verboſius praeterea hoc litterarum tractat arcanum, & acute ſolideque evincit, Graecos & Latinos hanc arcanam ſcribendi rationem ab Hebraeis Arabibusque recepiſſe, quod monumentis haud eludendis perbene confirmat. Aegyptii, a quibus, ex limatiorum virorum judicio, litterarum ſtudia ad alias emigrarunt gentes, hunc ſecretiorum ſcribendi obſervarunt modum, quo videlicet arcanis ſuis & myſteriis admodum propudioſis tanto majorem adſciſcerent auctoritatem, dignitatemque, & homines rudiores & vervecini, his myſteriis non innutriti, ob portentoſas figuras & litteras, idolis ſuis inciſas, obſtupeſcerent, & arcanam demirarentur religionem, quod LAVRENTIVS PIGNORIVS, m) IO SPENCERVS, n) JAMBLICHIVS, o) IO. FILESACVS, p) ROLLINVS, q) & GALEVS, r) ut alios omittam, ſat ſcite exponunt.

§. LXXXIV.

Obſervat SYNESIVS s) finem, ob quem Aegyptii ſuis arcis & idolis varias impreſſerunt formas & litteras hieroglyphicas, his verbis: *ἐςὶν αὐτοῖς κωμαςήρια τὰ κιβώτια, κρύπτονταί φασι ταύτας τὰς σφαίρας, ἃς ὁ δῆμος, ἐὰν ἴδῃ, χαλεπανεῖ, τὸ δὲ ῥᾶςον καταγελάσεται. habent κωμαςήρια, quae arcae ſunt, quasdam, uti alii dicunt, occulentes ſphaeras, quas ſi conſpiceret vulgus, moleſte ferret, quod enim intellectu aut paratu facile eſt, deſpicit vulgus: portentis enim & ſuperſtitione opus habet, quidni vero plebs cum ſit?* Nulla eget haec SYNESII interpretatio luce, quum in vulgus notum ſit, praeter AEGYPTIOS, quos forte hujus arcani auctores appellaveris, CHALDAEOS, PERSAS, & deinceps Philoſophos, ſua oracula ex tripode ſcilicet dicta, his arcanarum litterarum, ſymbolorum, typo-

l) vid. Ej. Var. Sacr. T. II. in not. ad Barnab. Epiſtol. p. 784. ſeq.
m) vid. Ej. Menſ. Iſiacam, Cap. III. p. 18. ſeq. conf. Cecropi not. dilucidat. p. 56.
n) vid. Ej. de Leg. Hebr. Ritual. Diſſertat. V. cap. II. Lib. III. p. m. 1107.
o) vid. Ej. Libr. de Myſter. Sect. I. cap. XI. p. 20. 21. edit. Gal.
p) vid. Ej. Select. Lib. II. ſſ. 6. p. 132.
q) vid. Hiſtoire Ancienne des Egyptiens Tom. I. Chap. II. p. 59.
r) vid. The Court of the Gentiles Part. I. Chap. XI. ſſ. 5. p. 64. a Oxon.
s) vid. Ej. Oper, vid. Calvitii Encom. p. 73. edit. Pariſ.

Digitized by Google

typorum, hieroglyphicorum, emblematum, & aenigmatum faſciis involviſſe. Omni tamen ex parte me conſentientem habet S. V. SIGISMVND. IACOB. BAVMGARTEN, t) qui ex PORPHYRIO & CLEMENTE ALEXANDRINO ſolide demonſtrat, triplex apud Aegyptios viguiſſe ſcribendi genus, *epiſtolographicum*, quod litteris, *hieroglyphicum*, quod figuris & imaginibus conſtitit, & *ſymbolicum*, quod maximam qua partem ex hieroglyphico ortum eſt. Nobis de primo ſcripturae genere potiſſimum eſt ſermo. Id vero IOANNI SPENCERO concedere nolim, Deum ſe huic Aegyptiorum genio accommodaſſe. Lege quaeſo illius ſententiam ita conceptam: *Cum itaque philoſophia quaedam ſacra figuris myſticis obſepta, & religio aliud in ſummo monſtrans, aliud in imo premens, apud Aegyptios & alios, Hebraeorum temporibus obtinuerit, aequum eſt, opinari, Deum religionem, carnalem quidem in frontiſpicio, ſed diuinam & mirandam in penetrali, Iudaeis tradidiſſe, ut inſtituta ſua ad ſeculi guſtum & uſum accommodaret, nec quicquam ſapientiae nomine commendatum, legi vel cultui ſuo deeſſe videretur.* u) Non temere nego, Iſraëlitas Aegyptiorum, dum in ipſorum commorabantur regionibus, vidiſſe cultum admodum ſuperſtitioſum; at ſanctiſſima Patriarcharum praecepta & ritus traditos ipſos perpetuo a Gentilium ſuperſtitione revocaſſe putaverim. Gratis igitur, teſte S. Venerabili SAL. DEYLINGIO x) fingitur, Hebraeos tam obtuſi fuiſſe ingenii, ut illas, quas a patribus acceperant, doctrinas ejurarint, & Aegyptiorum adoptarint nugas apinasque. Quod ſi itaque Deus cultum, quem intra Iſraëlitas formandum conſtituerat puriorem politioremque ad guſtum & Aegyptiorum uſum aptaſſet, dubitatio eſt nulla, quin hac ratione ipſorum ingenia Cimmeriis quaſi repleviſſet tenebris, & ſuperſtitionem, quae prorſus erat eradicanda, ipſis denuo propinaſſet. Nulla proinde nos retinet ratio, quo minus propudioſam hanc & profanam SPENCERI ſententiam, HERMANNI WITSII excipiamus argumentis neutiquam ſpernendis: *Non eſt probabile*, inquit, *Deum ex impiis Aegyptiorum ac diabolicis ſacris, ex veteribus vanitatibus, ex intolerabilibus nugis, ex magicae artis irritamentis, picturas feciſſe*

V 2

t) vid. Ej. Praefat. ad Romeyn de Hooghe Hieroſphic. edit. 1744.

u) vid. Ej. Leg. Ritual. Hebraeor. Lib. I. Cap. XI. p. 174.

x) vid. Ej. Orat. de Ingenio Iſraëlitar. Aegyptiacor. p. 382. Part. I. Obſervat. ſacr. adject.

feciſſe venturi ſoſpitatoris, rerumque ſpiritualium atque coeleſtium. Id certum, multo utiliorem, Deoque glorioſiorem operam collocaturos fuiſſe viros eruditiſſimos, ſi juſſarum a Deo ceremoniarum exactam potius cum rebus ſignificatis, quam cum tetricis quibusdam Aegyptiorum nugis, convenientiam aſſignare conati fuiſſent. y) Quum autem res, quae adhuc erant futurae, Iſraëlitis eſſent per Moſem tradendae, arriſit Deo modus, qui ad ingenerandam rerum arcanarum notitiam omnium fuit aptiſſimus. Quid vero deinceps fabuloſi Cabbaliſtae, in ſuis SEPHIROTIS, & circulis ſacris, neſcio, quae arcana tradentes, & montes quaſi aureos pollicentes, fecerint, jam non urgeo, quum hoc argumentum fuſius dilucidarit cl. PETR. ZORNIVS. z)

§. LXXXV.

Invaluit ceteroquin apud multas gentes, quas inter, teſte PLINIO, ſunt Parthi, litteras in veſtibus contexendi conſvetudo, a qua ſine dubio lucem accipit effatum Apocal. XIX. 16. quod concinne explicuerunt ſupra laudatus ZORNIVS a) & ANDREAS RICHTERVS. b) Illis autem, qui nimis acutulo ingenio in denudandis litteris arcanis, in dictis, Ezech. IX. 4. & Apocal. VII. 3. utuntur, cum MAGNIFICO DEYLINGIO c) non adſtipulor. Senſus enim, quod pervium eſt, his dictis magis infertur, quam effertur: Inde a vero non aberraverim, ſi cum IOANNE MARCKIO, d) CAMPEG. VITRINGA, e) CAROLO DAVBVTIO f) & JACOBO DVRCHAMIO g) ſtatuam, excitatum Apocalypſeos effatum ſacrum non litteras hieroglyphicas, & arcanas, quibus electi notati ſint, ſed ſimplicem & veram fideles ab infidelibus ſeparationem ſignificare. Quin & ipſa Scriptura novi teſtamenti ſacra nobis litteras ſecretiores tradit. Ita enim ſanctiſſimus Ieſu commilito, Ioannes, Chriſtum hoc nomine litteriſque demonſtrat arcanis: Ἐγώ εἰμι τὸ

y) vid. Ej. Aegyptiac. Lib. III. Cap. XIV. §. 17. p. 289.
z) vid. Ej. Biblioth. Antiquar. Exeget. Tom. I. Part. IX. p. 769.
a) vid. Ej. Opuſc. ſacr. Diſſertat. de Veſtib. Litter. Vet. p. 759.
b) vid. Diſſertat. de Veſtib. ſacr. certis litteris notat. Lipſ. 1703.
c) vid. Ej. Obſervat. Sacr. Part. II. Obſervat. XLIX. p. 601. ſeq.
d) vid. Ej. Commentar. ad h. l. p. 256.
e) vid. Ej. Anacriſ. Apocal. ad h. l. p. 299. ſeq.
f) vid. Ej. Perpet. Commentar. ad h. l. p. 262.
g) vid. Ej. Commentary upon Revelat. ad h. l. p. 258.

Digitized by Google

τὸ Α, καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος. Apocal. I. 8. confer. cap. XXI. 6. & XXII. 13. Nulla nos urget neceſſitas, ut in dilucidatione hujus nominis, quo ſe Chriſtus adornat, ad clivoſam aliquam periculoſamque prolabamur opinionem, quum res omnium pateat oculis, hoc nomine Deitatem Chriſti, ejusque aeternitatem indicari. Hebraei litterarum caput & finem habent א & ת, Graeci vero Α & Ω. In hoc autem prorſus conveniunt momento, quod his litteris ſecretioribus uſi, nihil aliud, quam principium & finem rerum indigitare voluerint, quod cum ſale prodit CAROLVS DABVTIVS, h) a quo non diſſentit cl. LVCIVS EMON VRIMOETVS, i) qui obſervat; ΑλφΑ optime conſpirare cum Hebraeorum אלוף aut אלפא, quod Hebraeis res, quae in ſuo genere *primae* & *praecipuae* & veluti duces ſunt, ſignificat. Denegamus proinde noſtrum calculum IOANNI PIERIO VALERIANO BELLVNENSI k) & IO. COCCEJO, l) qui ex verbis πρῶτος καὶ ἔσχατος, primus & noviſſimus, divinitatem & humanitatem adſerere contendunt, quum haec verba tantum explicationis gratia videantur addita. Ita arcanum hujus proverbii: Ego ſum Alpha & Omega, facile pateſcit, nec res, prout illam ANDREAS SCHOTTVS m) acute expoſuit, ulla laborat naſſa.

§. LXXXVI.

Intellexerunt, me judice, hujus proverbii nervum CLEMENS ALEXANDRINVS n) & TERTVLLIANVS, o) Graecorum inſtitutis & litteris ſatis imbuti, quorum prior rem ita effert: *ideo Verbum dictum eſt* Α *&* Ω, *cujus ſolius finis fit principium, & rurſus definit in id, quod eſt deſuper principium, nuſpiam diſtantiam accipiens aut dimenſionem.* Poſterior autem ita commentatur: *duas Graeciae litteras, ſummam & ultimam, ſibi induit dominus, initii & finis concurrentium in ſe figuras, uti quemadmodum* Α *&* Ω

 usque

h) vid. Ej. Perpet. Commentary on the Revelation of St. Iohn. Cap. I. v. 8. N. 10. p. 154. a Lond.

i) vid. Ej. Orat. Inaugural. §. 15. p. 18. Obſervat. Miſcellan. adject.

k) vid. Ej. Hieroglyph. ſeu de ſacr. Aegyptior. aliarumque gentium litteris, Lib. XLVII. cap. XXXIV. p. 600. ſeq.

l) vid. Ej. Op. Comment. Tom. VI. ad h. l. p. 37.

m) vid. Ej. Adag. Sacr. Teſt. Nov. p. m. 157.

n) vid. Ej. Stromat. Lib. IV. p. 537.

o) vid. Lib. de Monogam. Cap. V. p. 467.

usque volvitur, & rurſus Ω & A replicatur, ita oſtenderent in ſe eſſe, aut initii decurſum ad finem, & finis recurſum ad initium: ut omnis diſpoſitio in eum deſinens, per quem coepta eſt, per ſermonem ſcilicet Dei, qui caro factus eſt, proinde deſinat, quemadmodum & coepit. Et adeo in Chriſto omnia revocantur ad initium. Quae horum patrum explanatio ſale & ingenii acie non caret, ſed tam ſolida eſt, ut incaſſum laborare videantur illi, qui ex ingenii laſcivia ad aliam inclinant explanationem. Nihil deinceps Chriſtianis viſum eſt, his litteris A & Ω ſanctius & religioſius, quippe qui his litteris, & in epiſtolis communicatoriis emittendis, teſte FERRARIO, p) & in ſepulcrorum inſcriptionibus crebrius uſi ſunt, ut videlicet, teſte ARINGHO, q) ſe ejus, qui eſt principium & finis, Chriſti nimirum, eſſe aſſeclas palam edocerent. Innumera propemodum obvia ſunt apud ARINGHVM, BOLDETTVM, FABRETTVM, alioſque marmorum indagatores, marmoreaeque eruditionis admiratores, monumenta, his litteris conſpicua, quibus nomen profeſſi ſunt defuncti Chriſtianorum. Utrum vero omnia antiquitatis documenta pura ſint & vera, cum IO. MABILLONIO r) jam explorare non placet. Nec diffitemur, occurrere CONSTANTINI M. imperatoris nummos his litteris inſignitos, quos exhibent IO. HARDVINVS s) & ANDREAS SCHOTTVS. t) Satis frequens fuit poſtea in Chriſtiana eccleſia primorum ſaeculorum, horum characterum, & litterarum arcanarum uſus, & ex ORIGENE u) & ISIDORO HISPALENSI x) ſatis conſpicuus eſt ille mos, modo verba, unica tantum littera, modo ſacras litteras, modo denique alia arcana per notas characterum & litterarum ſignificandi illuſtrandique. Nemini, niſi qui graecam linguam tanquam canis e Nilo hauſerit, ignotum obſcurumque eſt, notas extitiſſe litteratas & illiteratas, quarum primae litteris, poſteriores notis

p) vid. Lib. III. Cap. II. p. 173.

q) vid. Ej. Rom. Subterran. Tom. II. Lib. VI. Cap. XXII. p. 298. edit. Pariſ.

r) vid. Ej. Epiſt. de Cult. Sanct. Ignotor. §. XII. p. 39.

s) vid. Ej. Chronol. ex nummis antiq. reſtit. in numiſmat. Saeculi Conſtantiani Op. p. m. 419.

t) vid. Ej. Adagal. S. p. [illegible]1.

u) vid. Origen. Hexaplor. Tom. I. in Praeliminar. Montefalconis Cap. X. p. 66. edit. laud.

x) vid. Ej. Op. Lib. I. Cap. XX. p. 9. ſeq.

tis fuerunt conſignatae. Ita nimirum α. ἀπειλὴν, poenarumque comminationem, γ. gehennam, δ. diabolum. E. ἐκκλησίαν, evocationem gentium, μ. μέλλον, futurum tempus, Π. πνεῦμα, ſpiritum, apud veteres indicarunt. Notae vero illiteratae per figuras fuerunt expreſſae, quae arcanum, ſenſumque aliquem ſublimiorem lectoribus inſpirarunt, quales fuerunt figurae, columbae, piſcis, palmae, crucis, aliaque figurarum genera, e quibus nomen fidesque Chriſtianorum inclaruit.

§. LXXXVII.

Succurrit porro in noſtra, quam eruimus, ATTICI epiſtola, ſiniſtra litterarum π. υ. α. π. interpretatio, quae his litteris omnem propemodum ſubtraxit auctoritatem. Graeca elementa initialia π. υ. α. nomen patris τοῦ πατρὸς, filii, τοῦ υἱοῦ, & ſancti, τοῦ ἁγίου, indicant, π. ultimum nomen divi Petri. Repreſſit jam inconcinnam hanc ultimae litterae π. expoſitionem NATALIS ALEXANDER, y) qui ſuſpicatur, deceptos eſſe latinos antiſtites, qui his characteribus nomen Patris, Filii, Spiritus ſancti, & Petri deſignari putarunt. At ſi nomen Petri deſignari voluiſſent his litteris, nomen Spiritus ſancti integrum non adjeciſſent. Intelliguntur itaque his characteribus, πατὴρ, υἱὸς, ἅγιον πνεῦμα. Si itaque ultima littera π. de Petro eſt intelligenda, nihil valet littera α. neque facile aliquis denudabit, intelligendum eſſe hoc nomine Spiritum ſanctum. Inſolens enim mihi videtur haec ſcribendi ratio, qua adjectivum Nicaeni poſuiſſent Patres, omiſſo ſubſtantivo, quod tamen ſenſum indicare debet. Nullibi vox ἅγιον ſine ſubſtantivo πνεῦμα, de Spiritu ſancto a Patribus Nicaenis eſt adhibita. Ita videlicet plus uno loco leges in concilii Nicaeni actis haec tria nomina, quae aſtute ſubvertunt Romanenſes; ἡ δὲ καθολικὴ πίστις μίαν θεότητα οἶδε καὶ ταύτην πρεσβεύει τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Fides autem catholica unam Deitatem novit, & colit Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.* z) Addunt proinde Pontificii, pro ingenio ſuo ſatis nugaci, quartum nomen, videlicet Petri, & aptant quadrata rotundis. Omnibus enim Romanenſibus hoc ineſt vitium, ut nubem plerumque pro Junone amplectantur, & ſibimetipſis dulcia de ſuo divo Petro fingant ſomnia. Ita nimirum BARONIUS hanc litteram Π. in rem ſuam trahit,

y) vid. l. c. p. 750.

z) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. Lib. II. Act. Concil. Nicaeni Cap. XXII. p. 415.

Digitized by Google

trahit, & tam jejune & inepte diſputat: *Sic igitur, quod in hac formata, tribus illis prioribus elementis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti perfe- ctae & ſanctiſſimae Trinitatis nomina adnotarentur: veluti ſymbolicis formulis adverſus ipſos, qui tunc inſurrexiſſent, haereticos Arianos fides Nicaena, eademque catholica, videbatur eſſe deſcripta. Quod vero non ſolum in recta fidei confeſſione, ſed & ex vera cum eccleſia ca- tholica communicatione probari deberet, qui recipiendus eſſet: inde additum eſt a ſanctis patribus primum illud, quod ſequitur, elemen- tum π. nominis Petri, idque ea de cauſa, quod in ſede Petri vige- ret totius eccleſiae catholicae principatus, adeo, ut ille probaretur, vere eſſe catholicus, qui Petri ſucceſſori eſſet communione conjunctus.* Et poſt pauca: *Vides ex his manifeſte, lector! ad quid nomen Petri potius, quam (ſi ſanctioris perſonae ponendum fuiſſet) Dei genetricis Mariae, vel Ioannis Baptiſtae, aut ſi π. littera ad con- ſtituendum certum numerum requireretur, magis ipſius Petri, quam Paulli vaſis electionis & doctoris gentium nomen poſt trium perſo- narum ſanctiſſimae Trinitatis nomina, ſtatim habetur expreſſum, nempe ob communicationem cum cathedra Petri, per quod ſignum, qui eſſet catholicus, poſſet aperte ſignificari.* a)

§. LXXXVIII.

Tam inconcinna & obſcura profert BARONIVS argumen- ta, ut Trophonii in antro vaticinari nobis videatur. Levidenſe ſane eſt, quod venatur hic purpuratus pater, myſterium. Velitum more nobiscum dimicat, & praepeditis diſputat ratiunculis. Magnus nobis erit BARONIVS Apollo, ſi invictis demonſtraverit ra- tionum fundamentis, PETRO, quem Lutherani non exuunt digni- tate, ſed tanquam magnum fidei confeſſorem, & Ieſu apoſtolum in deliciis habent, hunc ſupremi judicis & dictatoris competere titu- lum. At quo veritatis argumento nobis id perſvadebunt Romanen- ſes? Firmiora ſunt noſtra argumenta omnibus latericiis & proletariis, quibus Romanenſes utuntur, ratiunculis. Si Deus in condenda eccleſia Chriſtiana, ad formam ſtatus cujusdam monarchici, ſum- mum aliquod, & id quidem Petrum, reipublicae eccleſiaſticae caput, conſtituere voluiſſet, nihil prius, nihilque magis neceſſarium fuit, quam ut Deus ſuam de inſigni hoc momento revelaret in verbo di- vino

a) vid. l. c. p. 365. §. CLXVII. ſeq.

Digitized by Google

vino voluntatem, & pro ſua, qua in omnes homines gaudet, auctoritate abſoluta, adderet mandatum, quo omnes, quotquot in eccleſiae chriſtianae coirent familiam commerciumque, arctiſſimis quaſi obligaret vinculis. Nulli epiſcopo Romano, neque Petro hanc conceſſit dignitatem, ſed omnes homines adhortatus, & damna ipſis minatus eſt atrociſſima, ſi Ieſu eccleſiae capiti ſubtraxerint obſequium. Deut. XVIII. 15. 18. 19. Pſ. II. 6 - 11. 12. Luc. IX 35. Math. XVII. 5. Abſit, ut Deus tam inique agat, ut aliquod in rebus agendis a mortalibus requirat officium, cujus tamen plane eſſent ignari & expertes. Quodſi vero Chriſtus Math. XVI. 18. 19. Petrum hac adornaſſet auctoritate atque excellentia, & ipſe ſalutis noſtrae vindex reliquis apoſtolis hanc injunxiſſet obſequendi neceſſitatem, certe ipſi Evangeliſtae, Apoſtolique, in ſuis ſcriptis hoc argumentum maximi ponderis non praeteriiſſent, ſed omnibus Chriſtianis inculcaſſent, quo capite & duce in rebus eccleſiaſticis uti debeant. Sed nulla apparet veſtigii vola, quae Chriſtianos ad ſedem Petrinam remittit. Dubium porro eſt nullum, quin Chriſtus cum hoc ipſo munere & dignitate Petro illuſtriorem quoque prae reliquis Apoſtolis ſubminiſtraſſet titulum, ex quo ſtatim appareret, quae veneratio illi ſit adhibenda. Sed nullum offendo officii, dignitatisque ſignum, quo a ceteris apoſtolis erat dignoſcendus. Petrus ipſe hanc renuit praeſtantiam, & ſe appellavit *συμπρεσβύτερον* 1. Petr. V. 1. ut demonſtraret, ſe nullum affectare, prae reliquis Apoſtolis, dignitatis gradum. Nullum lego in ejus epiſtolis, aut primitivae eccleſiae ſcriptis, ſplendidum Chriſti *vicarii*, aut ſanctitatis nomen, quo nunc putatitii Petri ſucceſſores ſe veſtiunt, ut hoc mitiſſimo titulo ungues occultent leoninos. Reliqua omittimus licet clariſſima Ieſu effata, quibus Apoſtolorum circumcidit criſtas, Marc. X. 35. ſeq. Luc. XXII. 24. Et haec ſine dubio fuit ratio, ob quam haud pauci eccleſiae Romanae praeſules ſummam repudiarint dignitatem primatumque, quod argumentum prolixo pertexuit filo MATTHIAS FLACIVS, b) Illyricus ille rerum antiquiſſimarum venator.

§. LXXXIX.

At retrahamus vela. Eſto, hanc litterarum formatarum normam a Nicaeni Concilii inſtituto profluxiſſe, miramur nihilominu-

X infrus

b) vid. Catalog. Teſt. Verit. Lib. II. p. 91. ſeq.

Digitized by Google

infrunitam BARONII impudentiam & procaciam, qua Patres Nicaenos, quibus de Trinitatis myſterio res ſedulo erat agenda, divum Petrum, veluti appendicem & ſigillum hujus arcani, adjeciſſe, & his armis ab Arianis facile eludendis haereticos impugnaſſe opinatur. Vera eccleſiae Chriſtianae communio non eſt in Petro, ſed Chriſto, totius eccleſiae capite, quaerenda. Si unionis vincula in Apoſtolis forent conſtituenda, dubium non eſt, quin Ieſu legati ſuis eccleſiis id ſedulo tradidiſſent, ipſisque in memoriam revocaſſent, vel Petrum, vel Paullum eſſe unionis ſpiritualis centrum, quod tamen neglexerunt apoſtoli, ad omnium apoſtolorum doctrinam provocantes, & fideles ad unionem cum Chriſto, tanquam eccleſiae capite, excitantes. Divus Paullus feliciſſimam Corinthiorum conditionem, qua ad eccleſiam acceſſerant Chriſtianam, depraedicans, neutiquam communionem cum ſede Petri, ſed cum Chriſto factam eſſe, his adſeruit verbis: *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in conſortium Filii ipſius Ieſu Chriſti, domini noſtri.* 1. Cor. I. 9. Si itaque eccleſia Chriſtiana a capite ſuo Chriſto fovetur & nutritur Epheſ. V. 29. ſequitur, quod vera fidelium unio non cum fictitia Petri ſede Romana, ſed cum Chriſto & univerſa eccleſia ſit ſtatuenda.

§. LXXXIX.

Tametſi ſatis certo firmoque haec Apoſtolorum, de vera unionis eccleſiae Chriſtianae indole & natura, verba innitantur firmamento, video tamen, eminentiſſimum aliquando GOTTIVM contrariam, prout tulit religionis & ſtatus ratio, foviſſe ſententiam, qua farraginem prorſus hocce de argumento controverſiarum nobis appoſuit. Mitterem & hanc litem, niſi hanc GOTTII perſvaſionem, novis quibusdam coloribus, ad veritatis usque ſpeciem, adauctam, dignam judicarem, quae enixius exploretur, & fortiter enervetur. Conferamus itaque, novo quaſi praelio inſtituto, cum GOTTIO manus. Audiamus GOTTIVM, c) hunc in modum diſſerentem: *Formam regiminis eccleſiae ſub uno capite adeo neceſſariam eſſe ad conſervandam eccleſiaſtici corporis unitatem, ut, ea manente, unitas ſteterit, ea vero violata, ſtatim in ſchismata ruerit, & diſcordias, omnes ab initio usque ad praeſens ſeculum catholici doctores teſtati ſunt, & experientia comprobavit.* Quo ſuam, quam de viſi-

c) vid. l. c. Cap. XIV. §. I. p. 328. ſeq.

Digitized by Google

viſibili eccleſiae capite, prodidit mentem, ſtabiliret, *tria* conſtruxit argumenta, quorum *primum* a neceſſaria, ad conſervandam corporis eccleſiaſtici unitatem, conditione, *alterum*, a claris ſacri codicis effatis, & *tertium* a patrum teſtimoniis eſt petitum. Ne igitur ambiguo & nimis prolixo diſceptemus ſermone, placet, breviter GOTTII examinare argumenta, & concatenata ſerie noſtram addere ſententiam.

§. XC.

Prima in acie collocavit GOTTIVS argumentum, ſua ſententia haud gregarium, a natura & indole corporis eccleſiaſtici depromtum, quod, licet ſupra ſit excitatum, hic tamen repetere libet: *Formam regiminis eccleſiae ſub uno capite adeo neceſſariam eſſe, ad conſervandam eccleſiaſtici corporis unitatem, ut, ea manente, unitas ſteterit; ea vero violata, ſtatim in ſchiſmata ruerit ac diſcordias, omnes ab initio usque ad praeſens ſeculum catholici doctores teſtati ſunt, & experientia comprobavit.* d) Tota, ſi recte ſentio, concertatio praepeditae, qua impenſe ſe oblectant Romanae ſedis defenſores, innititur perſvaſioni de ſtatu eccleſiae ad ſtatum & rempublicam civilem comparato. Lenocinantur ſibimetipſis, & gratis quidem lenocinantur Romanenſes, dum eccleſiam veluti ſtatum aliquem, qui vel ex arbitrio unius regis ſeu principis, vel ex ſuffragio multorum procerum regitur, ſibi concipiunt, & ſibi ſomnia fingunt. Inveterata, quam nobis ſubdole propinat GOTTIVS, eſt illa apud Romanenſes ſententia, ſed eandem petitionem eſſe principii, quis neſcit? Detrahamus itaque huic eccleſiae, quam ſtatum eſſe fingunt ROBERTVS BELLARMINVS, e) CAJETANVS, FELIX VERANIVS, f) GEORGIVS de VALENTIA, Metimnenſis g) & MARTINVS BECANVS, h) perſonam, & demonſtremus, fruſtra eccleſiae hanc aptari formam. Status enim, quod inter omnes conſtat, indicat ſocietatem hominum, vel tacita vel voluntate manifeſta, ſive unius principis, ſive pluri-

d) vid. l. c.
e) vid. Ej. Op. Tom. I. Lib. I. Cap. VII. ſeq. p. 611.
f) vid. Ej. Opp. Theolog. Polemic. Tom, I. Lib. VII. Cap. VI. de Regimine Eccleſiae p. 64. ſeq.
g) vid. Ej. Op. Theolog. Tom. III. Diſputat. I. Quaeſt. I. p. 19. ſeq.
h) vid. Ej. Op. Tom. V. Opuſculor. Lib. II. Cap. IV. p. 716. ſeq.

Digitized by Google

plurium procerum imperio, & nutui ſubjectam. Si itaque eccleſia ſtatus indueret veſtitum, ſequeretur, eccleſiam magiſtratui & juribus imperantium detrahere obſequium, & novum aliquod conſtituere regimen. Sed eam ſocietatem non inierunt Chriſtiani, meliora a ſuo magiſtro, Chriſto, ejusque legatis edocti. Summus eccleſiae chriſtianae ſtator, in ea, quam concedere voluit hominum ad regnum coeleſte vocatorum, ſocietate nihil ejus rei fecit, quod novi ſtatus conditores ſuſpicere ſolent. Non ſubtraxit homines, quos in ſuam familiam adoptabat, magiſtratui, neque poteſtatem ipſis imperandi, & ſuo imperio eoſdem ſubjugandi ſibi ſumſit, ſed ſalutares fidei & morum propoſuit regulas. Math. XI. 28 - 30. Quin & ipſe ſe magiſtratus non exemit regimini, ſed, ne ſtatum reipublicae turbare, & aliquid novi moliri videretur, vectigal libere ſolvit. Math. XVII. 27. Elegit ſibi & laboris & itineris comites duodecim Apoſtolos, nec non ſeptuaginta praeambulones. Math. XI. & Luc. X. aſt quem in finem illos amandavit? Cave dixeris, Chriſtum hos elegiſſe ſocios, ut ipſi in comparando, cui praeeſſet, territorio manus adferrent auxiliatrices, quum ipſe fuerit rex ſine terris in hoc mundo, Math. VIII. 20. & haec alta de regno terreſtri ſuis diſcipulis circumciderit ſupercilia. Luc XXII. 24. Nullum neque Judaeis neque Romanis minatus eſt Chriſtus in ipſorum regiones impetum, neque ipſis, ut horum potiretur imperio, unquam ſigna intulit, quod coram Pilato diſerte eſt profeſſus. Io. XVIII. 36. Si apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum contemplamur inſtituta, nullum ſe offert ſtatus cujusdam civilis, quem conſtituere meditati eſſent, veſtigium. Pertinacis, quin imo ridiculi ingenii eſſet homo, qui ſtatueret, Apoſtolos Ieſu ſtatum aliquem, a ſtatu civili ſeparatum, condere voluiſſe. In tota, quae in actis apoſtolorum & ipſorum epiſtolis commemoratur, apoſtolorum hiſtoria, nihil omnino offenditur, quod ſtatui & regno conſtituendo videtur ſimile. Memores enim apoſtoli doctoris ſui verborum, de regimine civili ne cogitarunt quidem, ſed divinis ſpiritus ſancti donis in feſto Pentecoſtes colluſtrati, iisdemque donati largius, in omnes terrarum partes abierunt, & doctrinam a Ieſu acceptam diffuderunt. Nullo turgido, Gentilibus, ad quorum acceſſerunt regiones, innoteſcere voluerunt dignitatis nomine, ſed honorem ultro ipſis delatum cum modeſtia repudiarunt, ſolo Ieſu legatorum titulo contenti. Math. XVII. 15. 1. Cor. II. 1.

ſeq.

Digitized by Google

ſeq. Cap. IV. 1. ſeq. 2. Cor. V. 21. Omnes porro ſubierunt calamitates, & cruentam mortem, non ob affectatum aliquod imperium, ſed ob doctrinam, quam de Ieſu diſſeminabant. Eos, quos Ieſu lucrati ſunt, neque clanculum neque palam illis, qui imperium in eos habebant, ſubduxerunt, ſed ſerio eos adhortati ſunt, ut obſequium ſuo magiſtratui, & dominis, quibus adſcripti eſſent, devote praeſtarent, ſi vel duriſſima premerentur ſervitute. Rom. XIII. 1. ſeq. Epheſ. VI. 5. 6. 1. Petr. II. 18. Finge, Apoſtolos de formanda republica eccleſiaſtica, & regimine cogitaſſe, certo erit certius, alia ipſis ad hunc finem acquirendum eligenda fuiſſe ſubſidia. Quid? quod cum Chriſtiani perduellionis, & clandeſtinorum adverſus magiſtratum incuſarentur moliminum, & tanquam homines ſtatui publico valde minaces, ac noxii declamarentur, non defuerunt JVSTINVS MARTYR, ATHENAGORAS, & alii rerum Chriſtianarum patroni, qui ipſis hanc abluerunt labem frivole aſperſam, quod fuſius tractarunt GVIL. CAVEVS, i) & CHRISTIANVS KORTHOLTVS, k) viri in hoc ſtudiorum genere facile principes.

§. XCI.

Nova porro, & apoſtolis ignota eccleſiae introducitur forma, ſi ſtatum aliquem fingamus, quum actiones in ſocietate eccleſiaſtica peragendae, huic conditioni non reſpondeant. Pia, quae in eccleſia chriſtiana tractanda ſunt, negotia & pietatis ſtudia, ſunt frequentes ad audiendum Dei verbum coitiones, crebrae de rebus ſacris meditationes, ſacramentorum divinitus inſtitutorum uſus, nec non pietatis obſequia, & caritatis opera aliis adhibenda. Fac nunc, amabo, periculum harum actionum, & experire, utrum hic ſtatus cujusdam deprehendas indicia. Addo, ut brevis ſim, religionis, quam profitemur, chriſtianae vinculum. Quibus ſtatus aliquis conſervatur, vincula ſunt leges, & inſtituta vel uſu recepta, vel recentius evulgata, quibus reipublicae & ſtabilitur ratio, & conſervatur ſecuritas. Leges enim, teſte CICERONE, l) *ſunt inventae ad ſalutem civium, & civitatum incolumitatem, vitamque hominum & quietam*

i) vid. Primit. Chriſtianiſm. Part. I. Cap. IV. p. m. 537. ſeq.

k) vid. Obtrectat. Pagan. Cap. X. de Obſtinationis crimine Chriſtianis impacto. p. 607. ſeq. Cap. XV. de malis & calamitatibus publicis, Chriſtianiſmo imputatis. p. 665. ſeq.

l) vid. de Lege Lib. II. Cap. V. p. m. 225.

tam & tranquillam. In eccleſia vero non leges civiles, ſed praecepta divina & caritatis ſtudia mutuam ſervant unionem, & licet publicae ſecuritati quam maxime obſtetricentur, maximam tamen qua partem ad tranquillitatem ſpiritualem tendunt, & ſalutem aeternam. Ex iis, quae ſtrictis calamis diſputavimus, & quorum tela facili opera eſſet pertexenda, cognoſcent aequi rerum aeſtimatores, eccleſiam quidem in republica & ſtatu aliquo latere, ſed nullum ſingularem conſtituere ſtatum, quod, ut GROTIVM taceam, excellenter diluerunt illuſtris IVST. HENNING. BOEHMERVS, m) CHRISTOPH. MATH. PFAFFIVS, n) IO. GEORG. PERTSCHIVS o) & GEORG. GODOFR. KEVFFELIVS, p) quorum ſcripta hoc in argumento totam rem conficiunt. Illa igitur eſt eccleſiae facies, quam ſibi format GOTTIVS, & quo peplo fucum nobis facere conatur.

§. XCII.

Perluſtraturi nunc eccleſiae Romanae conditionem acrius, virgula non indigemus divina, ſed primo obtutu offendimus, eandem prorſus eſſe deformem, & rationi, quam Chriſtus introduxit, adeo diſſonam, ut eam ſtatus civilis potius, quam eccleſiae recte appellaveris nomine. Atque id ipſum Romanenſibus erat in votis, ut in condenda Petri ſede ſtatum aliquem novum, eumque monarchicum imperio aliorum minime obnoxium, caute efformarent. Aliorum compilarem ſcrinia, ſi ad MARCI ANTONII de DOMINIS, LAVNOJI, DV PINII, MORNAEI & GERHARDI provocarem argumenta. Satis nobis eſt S. V. ERNEST. SAL. CYPRIANI, q) S. V. SAL. DEYLINGII, r) DAN. CHAMIERI, s) & B. Fratris IO. DAN. KIESLINGII, t) exci-

m) vid. Tom. I. Jur. Eccleſiaſt. Proteſt. Lib. I. Tit. XXXIII. §. VIII. p. 849.
n) vid. Origin. Jur. Eccleſiaſtic. Cap. II. p. 36. ſeq.
o) vid. Hiſt. Eccleſiaſt. Sec. I. Cap VIII. §. 1. ſeq. p. 126.
p) vid. Element. Jurisprudent. Eccleſiaſt. univerſal. Lib. I. Cap. III. §. IX. ſeq p. 126. ſeq.
q) vid. Ej. ſolid. Demonſtrat. de ortu & progreſſu Papiſmi Cap. XIX. p. 493. ſeq.
r) vid. Obſ. Miſcellan. P. IV. Exercitat. VI. de novitate regiminis monarchici, p. 410. ſeq.
s) vid. Panſtrat. Catholic. Tom. II. Lib. XV. Cap. I. p. 309. ſeq.
t) vid. Diſput. Hiſtor. de Artib. Epiſcop. Roman. in ſtabiliend. Monarch. §. III. p. 3. ſeq. edit. Lipſ. 1713.

Digitized by Google

excitaſſe nomina. Quam injurii fuerint epiſcopi Romani in ſtatum publicum, & quibus artibus ſedes Romana imperio ſummi magiſtratus ſeſe ſubtraxerit, rerum hiſtoricarum exponunt documenta. Epiſcopi, qui ſe Petri ſucceſſores appellant, Romani, clam, precario, & tandem vi, terrarum tractum, quem Petri patrimonium dicunt, acquiſiverunt, quin immo illud, quum turgidis epiſcopis nimis anguſtum eſſet, variis regnis & regionibus fertiliſſimis & copioſiſſimis ſucceſſu temporis ſubdole adauxerunt, & imperatores, reges, & duces, hoc nomine, quod ipſis omnis poteſtas in terra data eſſet, expulerunt, & ſtatum aliquem effecerunt, & Chriſti formae adverſum, & ſtatui civili valde noxium, quod laudatus CYPRIANVS, u) oculatae dedit fidei. Quod quum in propatulo ſit, diſpiciendum nunc eſt regimen eccleſiaſticum. Arbitratur GOTTIVS, *formam regiminis eccleſiae ſub uno capite, adeo neceſſariam eſſe ad conſervandam eccleſiaſtici corporis unitatem, ut, ea manente, unitas ſteterit, ea vero violata, ſtatim in ſchiſmata ruerit.* Non extra Iliados muros proſiliam, quia GOTTIO de eccleſia Romana diſputatio eſt. Sed quis, bone Deus, adeo eſt expers rerum, qui neſciat, ipſam Romanam eccleſiam in ſuo gremio & viſceribus, exiſtente viſibili capite, tot alere ſchiſmata & diſcordias, quot hydra Lernaea capita, ex trunco propullulantia. Durant noſtro aevo ſchiſmata inter ordines votivos, quorum ſolutionem adhuc expectat Papa, ſi ipſi lux innotuerit divina. Triginta & his plura excitavit ANTONIVS GAVINVS, x) in ipſa Romana eccleſia ſchiſmata, ſerie temporum enata, & IO. POMIANVS PESAROVIVS y) bella eccleſiae Romanae inteſtina tam vivis depinxit coloribus, ut erubeſcere debeant GOTTII vindices, qui Romanam eccleſiam, ob ſuum viſibile caput, ab omnibus tortuoſis de fide, & moribus, quaeſtionibus & controverſiis pronunciant liberam & immunem. Aſt circumſpiciamus hoc viſibile eccleſiae Romanae caput a capite, ut dicere amamus, uſque ad calcem, & videamus, quantivis pretii illud ſit aeſtimandum.

§. XCIV.

u) vid. l. c. Cap. XXI. p. 606. ſeq.

x) vid. Le Paſſe-Par tout de l' Egliſe Romaine Tom. II. p. 24. ſeq.

y) vid. Ej. Diſput. Theolog. de Bell. infinit. eisque Inteſtin. Eccleſ. Roman. edit. Regiomont. 1696.

Digitized by Google

§. XCIV.

Monſtroſum Romanenſes reddunt corpus Chriſti myſticum, dum duo illi affingunt capita, alterum *viſibile*, alterum *inviſibile*. Deviant ſane & oleum perdunt Romanenſes, qui ad unitatem eccleſiae in terris & catholiciſmum requirunt, ut eccleſia viſibilis ſub uno ſit viſibili capite, quo tamen, quod nemo cum veritate adſeret, per tria ſaltem caruit ſaecula, ac nullum niſi Chriſtum tanquam caput agnovit, ut WALO MESSALINVS, ſeu CLAVDIVS SALMASIVS, z) dextre expoſuit. Et ſi viſibile aliquod finxeris caput, habes biceps, ALEXANDRINVM ſcilicet & ROMANVM. Nos ſaniora edocti, centrum unitatis in ſola myſtica unione, & cum Chriſto communione, conſtanter collocamus. Nam unitas eccleſiae, quantum ſacrae edocent litterae, non niſi ab unione myſtica cum Chriſto, unico eccleſiae capite, per veram & vivam fidem & profeſſionem dependet, quod apoſtolus Paullus luculenter ſatis hoc confirmat oraculo: *creſcamus in illo per omnia, qui caput eſt Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram unius cujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem ſui in charitate.* Epheſ. IV. 15. 16. Solus Chriſtus eſt eccleſiae caput, a quo vitam, motum, & vires ſpirituales aeque accipit, ac corpus a ſuo capite. Quid? quod viſibilis praeſentia ad nutrimentum & conſervationem unitatis eccleſiae, ejusque tot membrorum minime ſufficere poteſt. Neque eccleſiae chriſtianae ortus & incrementa a viſibili dependent Pontificis praeſentia. Sublimiori & divina opus eſt virtute, quae ſe in intima hujus eccleſiae viſcera demittere, & efficaciſſima ad conſervationem, confirmationem & propagationem ſuggerere poteſt media. Haec omnia in Romano Pontifice fruſtra quaeſiveris, & tam inepte egeris, ac ſi a pileo tuo, non vero a capite, ſenſum, motum, & influxum aliquem in reliqua corporis membra expetiveris. Romanus Pontifex ne quidem patribus purpuratis, qui in ejus commercio degunt, vitam ſpiritualem ingerere poteſt, ſed multos habet Cardinales, hujus mundi deliciis ineſcatos, in ſuo ſodalitio. Ecquis nunc tam demens eſſet, ut credat, hoc viſibile caput languidum, tineoſum, & macilentum, infinitis fere eccleſiae chriſtianae membris ſuppeditare poſſe vires

z) vid. Ej. Diſſ. I. de Epiſcop. & Presbyter. ad Vet. D. Petav. Lojolit. Cap. V. p. 279. ſeq.

Digitized by Google

vires ſpirituales & incrementa. Vigilans ſomniat is, qui hoc ſibi perſvaſerit. In mendo porro cubat hoc Romanenſium praejudicium, Papam a Chriſto eſſe caput eccleſiae conſtitutum, & cum illo ſolo unitatem eſſe conſervandam. Prius prorſus falſum & imaginarium eſt, & poſterius cum limitatione a nobis admittendum. Si enim Romana eccleſia veritatem doctrinae Chriſtianae retineret, & apoſtolicae adſervaret fidei capita, nos ipſi noſtram ſocietatem, & communionem nunquam denegabimus. Evaneſcit nunc Romanae eccleſiae fucus, & labaſcit hujus capitis unio, quam ſolidiſſimis impugnarunt argumentis B. IO. GERHARDVS, a) B. IO. ANDREAS QVENSTEDIVS, b) DANIEL CHAMIERVS, c) PETRVS van MASTRICHT, d) IO. EDVARDVS, e) & ISAACVS BARROVS, f) ut alia ſplendidiſſima eccleſiae & Lutheranae & Reformatae praeteream nomina. Quam inanem de viſibili capite jactantiam, praeter GREGORIVM M. g) his acutiſſimis perforavit St. BASILIVS rationibus: *ὑμεῖς δέ ἐςε σῶμα χριςȣ̃, καὶ μέλη ἐκ μέρȣς. Κρατȣ́σης δηλονότι καὶ συναπτȣ́σης ἕκαςον τῷ ἄλλῳ πρὸς ὁμόνοιαν τῆς μιᾶς καὶ μόνης ἀληθῶς κεφαλῆς, ἥτις ἐςὶν ὁ χριςός. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte. Quippe unum & ſolum verum caput, quod eſt Chriſtus, continet, ac connectit unumquodque cum altero ad concordiam.* h) Omne ſpirituale incrementum, quod univerſae eccleſiae Chriſtianae ſentiunt membra, ab hoc profluit capite, quod eſt Chriſtus, qui profitetur: *Ego ſum vitis, vos palmites, manens in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me non poteſtis facere quicquam.* Io. XV. 5. Illuſtre eccleſiae plantandae inſtrumentum, Paulius, neque

Y ſibi,

a) vid. Ej. Confeſſ. Catholic. Part. I. Lib. II. Art. V. Cap. I. p. 714. ſeq.

b) vid. Ej. Syſtem. Theolog. Part. I. Cap. XV. de Eccleſ. Sect. II. Quaeſt. V. p. 1665.

c) vid. Ej. Panſtrat. Theolog. Tom. II. Lib. X. Cap. I. §. X. p. 172. ſeq.

d) vid. Ej. Theolog. Theoretic. Pract. Lib. VII. Cap. I. §. XXIV. p. 773. ſeq.

e) vid. Theolog. Reformat. Vol. I. The firſt diſcourſe on the Ninth Article of the Creed p. 516. ſeq. a Lond.

f) vid. Ei. Works Vol. I. a Treatiſe of the Popes Supremacy The ſuppoſition V. §. II. p. 628. ſeq. a Lond.

g) vid. Lib. VI. Epiſtol. XXXVI.

h) vid. Ejusd. Op. Tom. II. in Prooemio de Judic. Dei §. III. p. 216. edit. Benedict.

Digitized by Google

ſibi, neque Petro, neque denique Apolloni hanc augmenta conferendi & unitatem eccleſiae tuendi vindicavit poteſtatem, ſed aperte ſcripſit: *Quis igitur eſt Paullus? quis vero Apollo? niſi miniſtri, per quos credidiſtis, & unicuique ſicut dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque plantans eſt aliquid, neque rigans, ſed ille incrementum dans Deus.* 1. Cor. III. 5. 6. 7. Non erubuit tantus Ieſu legatus, ſe appellare ſervum, qui nihil niſi operam ſuam a Chriſto demandatam eccleſiae conferret: At hodierni Romanae ſedis praeſules, nomen ſervi ſervorum affectantes, ſe caput eccleſiae vendere ſatagunt, & unionem eccleſiae in ſedis ſuae commercio fingunt. Pari ſane auctoritatis firmamento, eccleſiae, Hieroſolymitana, Antiochena, Caeſarienſisque, Romana antiquiores, hoc unionis praejudicium ſibi attribuere poſſent. Hoc ſaltem erat in votis, ut Romani Pontifices fidei Chriſtianae retinuiſſent puritatem, neque erroribus recenter excogitatis ſe ab eccleſia ſeparaſſent Apoſtolica.

§. XCV.

Enodarem hoc argumentum enixius, niſi hac provincia jamdudum feliciter eſſet perfunctus PETRVS MVSAEVS, qui illud adverſus BECANVM adſtruxit, ut nihil ſupra. Poenitere non coëmet is, qui laudati MVSAEI legerit verba, BECANO oppoſita. Ita nimirum diſputat BECANVS: i) *Chriſtus*, inquit, *vocatur caput eccleſiae, non tantum propter internum influxum gratiae, ſed etiam propter externam gubernationem, quo pacto vir eſt caput populi Iſraël, & Raſin caput Damaſci, & Phacee caput Samariae, & uno verbo rex caput regni. Licet regis gubernatio ſit politica, Chriſti eccleſiaſtica; duo tamen notanda ſunt. Unum eſt, Chriſtum, cum adhuc in terris eſſet, per ſe exercuiſſe utrumque officium capitis in eccleſia. Nam & per ſe donabat fidelibus internam gratiam, & ſimiliter per ſe dirigebat & gubernabat illos in externis actionibus, quae ad eccleſiae ſtatum pertinebant. At nunc cum in coelis eſt, per ſe quidem praeſtat prius officium, poſterius vero per vicarium. Alterum, Chriſtum dupliciter conſiderari poſſe 1.) quatenus eſt Deus, 2.) quatenus eſt homo. Vtroque modo per ſe praeſtat prius officium, ſed diverſa ratione. Nam quatenus eſt Deus, per ſe*

i) vid. Ej. Op. Tom. V. Lib. I. Cap. IV. §. 9. p. 674.

ſe phyſice & effective producit gratiam, quatenus homo, per ſe moraliter & meritorie illam confert. Prior modus conferendi & illi communis cum Patre & Spiritu ſancto; poſterior eſt illi proprius. Audi nunc, amabo, B. PETRVM MVSAEVM, k) dextre reponentem: *Nobis rem penitius inſpicientibus non niſi unus occurrit modus, quo caput humanum regit reliqua membra, videlicet dum ſpiritus & vitam interno & inviſibili influxu a ſe diffundit & diſpenſat. Altera directio, quae externa dicitur, ſic eſt a ſingulis membris, ut caput nihil eo, praeter internum ſpiritus influxum, conferat, v. g. non caput, ſed oculi, qui ſunt in capite, vident, ac proſpiciunt, ne pedes in foveam incidant, caput autem oculis ſpiritus impertit. Et ſi caput poteſt dici cauſa mediata actuum oculorum, quia, niſi oculi ſpiritus a capite acciperent, munia ſua obire non poſſent; At immediata cauſa externae directionis pedum non eſt, niſi oculorum acies. Proinde ſi hic quoddam conſtituendum eſſet caput externae directionis pedum, oculorum ſenſus, non caput, in quo ſunt oculi, caput efficeretur, quod ipſi Becano abſurdum fuerit Idem de externa membrorum per reliquos ſenſus directione eſto judicium, niſi quod de directione manuum per intellectum & voluntatem differens, phyſicam & moralem directionem perperam confundit. Influxus & derivatio ſpirituum a capite in ſenſus ac reliqua membra eſt directio phyſica, & praeter hanc nulla capiti humano directio competit. Sed cohibitio manuum, ne quid illicitum committant, eſt directio moralis, quae nullo modo per caput corporeum, ſed per voluntatem fit ex intellectus conſilio, adeo, ut, ſi hic quidem conſtituendum ſit caput, ipſa voluntas ſit, intellectu, velut conſiliario utens. Hinc etiam vulgo voluntati imperium in reliqua membra tribuunt. Sed imperium non niſi quaedam moralis directio eſt. Relinquitur itaque, ut capiti humano, qua capiti, nonniſi unus modus regendi reliqua membra, videlicet internus ſpirituum & vitae influxus, competat. Hinc etiam omni fundamento caret attributus Chriſto duplex modus gubernandi eccleſiam. Verum eſt, Chriſtum nunc in coelis exiſtentem, non gubernare eccleſiam, niſi per influxum gratiae: Falſum autem, quod in hac vita externa quadam & viſibili directione eccleſiam rexerit, & in coelos aſcenſurus, quoad externam directionem, unum quen-* dam

k) vid. Ej. Diſſertat. de capite eccleſiae Pontificiis, & nominatim Becano oppoſita §. 18. 19. p. 14. ſeq. edit. Kilon. 1674.

Digitized by Google

dam ſui vicarium reliquerit. Conceſſum eſt, Chriſtum viſibili modo quosdam exercuiſſe actus, qui capitis eccleſiae abſolutam poteſtatem arguerent, puta, quod ſacramenta inſtituit, evangelium propria auctoritate dedit, & ſacrificium infiniti ponderis ac pretii in cruce obtulit. Verum his actibus non gubernavit eccleſiam, ſed ea apparavit, quae ad aedificandam olim & regendam eccleſiam erant neceſſaria, ut plus ſimplici vice dictum. Neque vero, ſi Becanus hos actus externae directionis appellatione intelligeret, Chriſtus eorum ratione ullum habere poteſt vicarium, cum, poſtquam ſemel inſtituta ſunt ſacramenta, & datum eſt evangelium, ſacrificiumque in cruce peractum, nihil in haec omnia poteſtatis ulli homini ſit relictum. Tota eccleſia unum conſtituit corpus, quod intimo nexu inter ſe eſt junctum. Romana vero eccleſia eſt pars hujus totius eccleſiae. Quodcunque igitur membrum, ex quo demum proſilierit terrarum angulo, veram puramque Chriſti habet doctrinam & fidem, particeps eſt hujus ſpiritualis Chriſtum inter & eccleſiam unionis, & eccleſiae aſſociatur viſibili. Exinde nullum ſequitur dignitatis praeſidium, quod ſibi Romana adſciſcere poſſit eccleſia, quae non totam, ſed particularem aliquam repraeſentat eccleſiam. Quin potius haec Romanae eccleſiae diſtinctio, & affectata prae Orientali excellentia eſt apoſtaſiae nota.

§. XCVI.

Siſyphiam proinde impendit EMMANVEL SCHELSTRATIVS operam, qui ex communicatione aliquam venatur Petri auctoritatem & excellentiam, quam ex IRENAEO, CYPRIANO, OPTATO MILEVITANO, AMBROSIO, HIERONYMO, GELASIO, aliisque patribus corradit, & ex PETRO de MARCA Pariſienſi, tam proterve ſcribit: *ipſos Apoſtolos, Petrum, ut ordinarium eccleſiae paſtorem, ſuſcipientes, eccleſias ita inſtituiſſe, ut eas Petri, ejusque ſucceſſorum regimini ſubjicerent.* 1) Quam praepedita mente haec ſcripſerit SCHELSTRATIVS, planum eſt. Demonſtrare debebat, Apoſtolos hoc divi Petri imperium agnoviſſe, & eidem ſuas, quas condiderant, eccleſias ſubjeciſſe. In triviis notum eſt, Petrum varias in Palaeſtina & Syria condidiſſe eccleſias, adornaſſe ſedem Antiochenam, ibidem

1) vid. Ej. Antiquitat. Eccleſiaſt. Tom. II. Diſſertat. II. Cap. IV. p. 111. ſeq.

Digitized by Google

ibidemque eccleſiae ſuſtinuiſſe praeſidium, ſed nullus Romanae eccleſiae ſatelles & miles praeſidiarius unquam apoſtolum Petrum conſtituit Epiſcopum Antiochenum. Omnes uno ore clamitant, Petrum Romanum fuiſſe praeſulem, & hanc ſedem ſibi fabricaſſe. Subit nunc animum mirari, Petrum, ſummum eccleſiae Chriſtanae pontificem & dictatorem, ſcilicet, perpetuum, ſe ſuasque, quas conſtituiſſe fertur, eccleſias ſubjeciſſe concilio Hieroſolymitano? Si itaque ſtatuenda eſſet eccleſiarum illa aetate conditarum excellentia, illa Hieroſolymitanae eccleſiae ejusque praeſuli IACOBO, cognomento fratri Ieſu, foret aſſervanda, neutiquam vero ſedi Antiochenae, aut ejus conditori attribuenda. Quantum acta concilii Hieroſolymitani, ut Act. cap. XV. legimus relatum, exponunt, ipſe Petrus ſe ſuasque, quas condidit, eccleſias toti apoſtolorum coetui ſubmiſit, neque ullam prae reliquis eccleſiis, & commilitonibus affectavit gloriam. En hominis parum verecundi, qualis fuit SCHELSTRATIVS, impudentiam, & blateronis praefractae ſane frontis jactantiam, qui inſulſe prodit, omnes Ieſu legatos Petro ſuas ſubjeciſſe eccleſias, & easdem ejus regimini tradidiſſe, quum ipſe Petrus ſe omnium Apoſtolorum expoſuerit judicio. Eheu figmentum ex adusto SCHELSTRATII, erubeſcere neſcii, ingenio enatum. Ubi quaeſo unquam Paullus, qui Petrum, Romanae ſedis ſtatorem, egregie dedit depexum, Galat. II. 11. 12. 13. ſuas eccleſias hinc & inde collectas Petro ſubjecit? Caſtigavit Paullus Petri animum, parum conſtantem vacillantemque, & hac ipſa edocuit admonitione, ſe Petrum non agnoſcere ſuperiorem. Quicquid denique hujus rei ſit, planum eſt, Petrum neque Hieroſolymis, neque Antiochiae, neque denique Romae, ſedem aliquam conſtituiſſe patriarchalem, & alias ſibi ſubjeciſſe eccleſias, aut epiſcopos, ſed ubique locorum, prout recte monet SAMVEL BASNAGIVS, m) non ut epiſcopum, ſed ut apoſtolum praefuiſſe. Cui pollicem premit ISAACVS CASAVBONVS, qui ex CHRYSOSTOMO rite obſervat, Petro προστασίαν eccleſiae non ita eſſe demandatam, ut regio more poſſet in illa imperare, ſed hanc provinciam ita ſuſtinuiſſe, ut neque αὐθεντικῶς neque ἀρχοντικῶς, ſed διακονικῶς eccleſiam gubernaret. Neque Chriſtus Petrum ad hoc dignitatis faſtigium evexit, neque ipſe Pe-

 trus

m) vid. Ej. Exercitat. Hiſtoric. Critic. Exercitat. IV. p. 172.

n) vid. Ej. Exercitat. ad Annal. Baron. Exercitat. XV. p. 332.

Digitized by Google

trus ad hunc adſpiravit honoris gradum, ſed putatitii Petri ſucceſſores hoc peplo ſuum occultarunt faſtum. Fruſtra proinde ex loco Gal. I. v 18 in quo aſſeritur, Petrum aſcendiſſe Hieroſolymam *ἱςορῆσαι πέτρον*, *inviſere* PETRVM, dignitatem aliquam Petro debitam extorquent Pontificii, quorum perſvaſionem ex optimis Criticis & Theologis egregie proſtravit cl. PETRVS ZORNIVS. o)

§. XCVII.

ALTERVM nunc GOTTII argumentum, quod ſe ſpecioſis quibusdam tuetur effatis ſacris, nobis eſt debellandum. Primas partes tenet oraculum, plus millies a noſtratibus adverſus Romanenſes vindicatum, quod extat Mathaei XVI. v. 17. 18 Ita vero ſentit GOTTIVS: p) *Eccleſiam ſuam igitur ſe aedificaſſe ſuper unum, per unum confirmandos in fide fratres, per unum paſcendas oves ſuas, & hunc eſſe Petrum, Chriſtus ipſe in Evangelio oſtendit. Primo enim* Math. XVI. *cum varii varie de ſua perſona ſentirent, interrogavit diſcipulos ſuos Chriſtus, dicens: Vos autem quem me eſſe dicitis? Cumque Petrus in perſona omnium reſpondiſſet: Tu es Chriſtus filius Dei vivi, ut oſtenderet, ſublimem hanc confeſſionem non a ſe ipſo ortam, ſubjunxit: Beatus es, Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in coelis eſt; deinde in praemium tantae confeſſionis: Et ego, inquit, dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo eccleſiam meam, & portae inferni non praevalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, &c. Dicas mihi, quaeſo, quisquis es: Si haec, quae Chriſtus hic dicit Petro, legeres dicta ab aliquo rege uni ex familiaribus, ac ducibus ſuis, qui ſtrenue prae ceteris ipſum eſſe regem defendiſſet, ac praedicaſſet, nonne ſtatim argueres, regem illum iſti tradidiſſe ſupremam regni ſui adminiſtrationem in praemium, ac ſe ab omnibus illum deturbare conantibus valide defenſurum, ac dediſſe illi inſuper claves, & poteſtatem aperiendi carceres, & claudendi, gratias diſpenſandi, & denegandi, ſeque ratum habiturum, quidquid ille fecerit? Similia legis* Gen. XLI. *dicta Joſepho a Pharaone in praemium, quod ei revelaſſet ſomnii expoſitionem, nec dubitas aſſerere, Joſephum a Pha-*

o) vid. Ej. Opuſcul. ſacr. diſſert. ad h. l. p. 410. ſeq.

p) vid. l. c. §. 352.

Digitized by Google

Pharaone conſtitutum totius Aegypti Proregem. Cur ergo, dum audis haec a Chriſto dicta Petro in praemium ſuae confeſſionis, vel negas, vel ambigis, Petro regendae eccleſiae ſuae curam commiſſam? Transſcripſi haec accurate, ut aequus concertationis noſtrae judex primo ſtatim oculo diſceptationis intelligeret punctum.

§. XCVIII.

In tanto noſtrorum Theologorum, qui hoc dictum diluerunt, numero, & eorum commentationibus, argumentorum rationibus admodum gravidis, exigua mihi dicendi relicta eſt opera. Chriſto non de fundamento *politico* & *monarchico*, ſed de *doctrinali* eſſe ſermonem, ſtatim indicat non ſolum vox τῆς πέτρας, quae differt a nomine τοῦ πέτρου; ſed & totius ſermonis compages. CEPHAS eſt vox Syriaca, & adhibetur a Chriſto, ut demonſtret, hanc, quam Petrus emiſerat confeſſionem de Chriſto, veram eſſe doctrinam, cui eccleſia eſſet ſuperſtruenda. Dixerat enim Petrus: Σὺ εἶ ὁ χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. v. 16. Haec igitur Petri confeſſio prorſus innititur Chriſto, qui eſt πέτρα, ſeu rupes & lapis angularis, ſine quo totum eccleſiae Chriſtianae aedificium corrueret, quod Chriſtus de ſe ipſo adfirmat, adferendo: *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus eſt in caput anguli? a domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Matth. XXI. 42. Et 1. Cor. X. 4. Chriſtus diſertis verbis appellatur rupes ſeu petra: *Et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant enim de ſpirituali ſequente petra: at petra erat Chriſtus.* De Chriſto itaque, hujus Petrae antitypo, prorſus nulla eſt dubitatio, licet fluctuare videatur IO. BVXTORFFIVS, q) utrum petram in Horeb an in Kadeſch ob oculos habuerit Paullus. Alienam, video, GOTTIVM a noſtra ſententia alere perſvaſionem, dum afferit: *Non duae ſunt voces, quarum altera hominis nomini conveniat, altera ſaxo, ſeu petrae, ſed ſicut in latinis maſculini eſt generis, ita Cephas ejusmodi generis eſt apud Syros, ut, cum proprie petram ſignificet, tamen & poſſit appellationi hominis convenire, & hoc nomine Petrum quoque nominandum promiſerat Chriſtus.* Io. I. 42. *dum ait: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Ideo autem interpres latinus ſecutus eſt potius nomen graecum Petrus, quam Petra, quia, cum*

q) vid. Ej. Hiſtor. Petrae in deſerto Cap. VI. p. m. 456.

cum tam unum, quam alterum, in graeco ſignificet lapidem, homini potius tribuere voluit nomen maſculinum quam foemininum. r) Valde ſe probat GOTTIO CAMERONIS s) ſententia, qui graecum urget ſermonem, qui non admitteret nomina vel cognomina, quae proprie res ſignificarent, & quae natura ſua eſſent appellativa. Ita putat, neminem πέτραν appellative dici, ſed πέτρον ἀπὸ τῆς πέτρας. Quid? quod lingua Syriaca, in qua ſcilicet idem utrinque nomen, quod Petrum & petram denotat, & per כאפא exprimit, huic opinioni favere videatur. Concedo, vocem כאפא & Petrum, videlicet Petri perſonam, & rem, ſeu petram ſignificare poſſe; attamen, quum Matthaeus, hujus oraculi teſtis, diſerte diſtinguat inter Petrum & petram, vix credibile eſt, hoc duplex nomen uni attribui ſubjecto. Proinde haud jejuna eſt GVSSETII, t) obſervatio, qua ſtatuitur, Chriſtum duobus verbis uſum fuiſſe, כאפא de Petro, & טינר de ſeipſo, demonſtraturum, Petrum eſſe lapidem mobilem & vivum, ſed ſe ipſum eſſe rupem, quae ad fundamenta eſſet perapta & idonea. A qua diverſa nominis ratione, ejusdemque illuſtriori ſignificatu haud alienus eſt IO. LIGTFOOTVS. u) Sed eſto, GVSSETII ſententiam de duabus, quibus uſus eſſet Chriſtus, vocibus magis ingenioſam eſſe, quam ſolidam & certam; qua rem tamen nobis ſe valde probat. Falluntur enim graviter, qui arbitrantur, inter haec duo nomina, CEPHA, PETRA, & CEPHA PETRVS, nullum intercedere diſcrimen, quia litteris leguntur iisdem. Verum eſt, in terminatione horum verborum nullam inſignem adeſſe diverſitatem, quod genio linguae Syriacae prorſus eſt adſcribendum. Ea enim eſt hujus linguae indoles, ut nomina virorum iſtius formae ab aliis ſubſtantivis deducta, ὁμωνύμως, non vero παρωνύμως efferat, quod Graecis & Latinis eſt uſu receptum. Homunculi vero eſt, ſignis & litteris adhaerere, & ea, quae ante pedes ſunt, tantum videre; prudentioris ex adverſo & ſagacioris hominis rem inveſtigare abſtruſam penitius. In propatulo eſt, non omnia nomina, quae iisdem ſcribuntur litteris, eandem ſuſtinere ſignificationem; alias enim ſequeretur, *leonem* animal, & *Leonem* hominem, nec non *aquilam*,

r) vid. l. c. p. 340.

s) vid. Critic. Angl. Tom. IV. ad h. l. p. 488.

t) vid. Commentar. L. Ebr. ad voc. טינר p. m. 303. conf. B. Io. Olearii Tractat. Philolog. de ſtylo Nov. Teſt. Sect. Didact. Membr. III. Aphor. VI. p. 86.

u) vid. Op. Vol. II. in Heb. ad h. Math. loc. p. 335.

avem, & *Aquilam* hominem, ejusdem eſſe ſignificatus, quod oppido eſt falſum. O quam vellem, legiſſet GOTTIVS ISAACVM CASAVBONVM,x) qui hoc argumentum uberius diluit, forte hac levi armatura noſtros circulos non fuiſſet aggreſſus. Immo laterem lavat GOTTIVS, dum linguae Syriacae impenſe urget genium, cum non Syriacam, ſed Graecam linguam tanquam authenticam admittendam eſſe, certo ſit certius. Quin & ipſa, cui falli neſciam Romanenſes attribuunt auctoritatem, Vulgata Verſio voces PETRI & PETRAE bene diſtinxit. Satis igitur eſt, duos diverſos ſub his nominibus latere ſignificatus, quod St. AVGVSTINVS y) bene intellexit adſerendo: *Non dictum eſt Petro, tu es Petra, ſed tu es Petrus; Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus.* De voce igitur Κηφᾶς ſeu Cephas parum ſum ſollicitus, praeſertim quum illa Galat. III. 9. expreſſe de Petro legatur, quod ipſe HARDVINVS antiquiſſimis documentis in pudorem datus largitur, prout MAGNIF. SAL. DEYLINGIVS z) contra hunc ipſum HARDVINVM evicit, rationibus haud eludendis. Eſto, Petrum, ob inſignem fidei confeſſionem, & fidei, quam ſpirabat, conſtantiam, hoc novo nomine ponderoſo & pompoſo eſſe adauctum, quod alibi Jacobo & Ioanni contigerat; Marc. III. 17. minime tamen inde ſequitur, Petrum a Chriſto conſtitutum eſſe fundamentum, cui eccleſia colligenda & conſtruenda inniti debeat. Compellat illum lapidem, quo nomine alibi honorantur Petrus, Jacobus & Ioannes. Ita vero Paullus: *cognoſcentes collatum in me beneficium, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui* ςύλοι, *columnae eſſe videbantur.* Galat. II. 9. Nec non ipſi fideles a Petro tam blando lapidum vivorum appellantur nomine, 1. Petr. II. 5. & Apocal. III. 12. quos lapides tamen Petrus diſtinguit a lapide frontato, in commate ſexto adſerendo: *itaque ſcriptum eſt, ecce pono in Sione lapidem angularem, electum, eximium, cui qui confidit, non fruſtrabitur.* Sic itaque eximium quidem eſt, quo Chriſtus Petrum donavit, nomen, at longe inferius voce Petrae, quae ſoli Chriſto eſt relicta. At de illo potiſſimum diſſident interpretes, utrum intelligendus ſit per hanc petram ipſe Chriſtus, an vero Petri confeſſio. Utraque ſententia neque in textum, neque in

x) vid. Ej. Exercitat. XV. ad Annal. Eccleſiaſt. Baronii p. 341. ſeq.
y) vid. Ej. Op. Tom. I. Retractat. Lib. I. Cap. XXI. p. 23. edit. Benedict.
z) vid. Ej. Obſ. ſacr. P. II. Obſervat. XLV. §. XIII. p. 530.

Digitized by Google

fidei noſtrae normam eſt injuria. Dicam illis non ſcribo, ſed me jamjam eorum addixi ſententiae, qui arbitrantur, Ieſum hoc in ſermone digitis directis ſe indicaſſe, petramque ſalutaſſe: Tu es Petrus, & in hanc petram, quam digitis demonſtravit, aedificabo meam eccleſiam. Illi quoque minime a vero deviant, qui Petri fidem & confeſſionem ſubintelligunt, & vocem τῆς πίστεως addunt, quam explanationem arriſiſſe video RICHARDO WARDIO. a) Utraque expoſitio & Patribus, & aliis commentatoribus haud infimi loci, quantum ex DAN. HEINSIO, b) & B. IO. CHRISTOPH. WOLFFIO, c) videmus, ſe commendavit, neque is erraverit, qui alterutram aſciverit. Nullam offendo in ſermone Ieſu ſenſus obſcuritatem aut difficultatem, ſed ſummus adeſt verborum & ſenſus & nexus, planaque mentis ratio. Non ſatis autem rem ponderant & juſto examini ſubmittunt, qui hoc fundamentum de Petro interpretantur. Inſcii in BENED. SPINOZAE deſcendunt ſententiam, qua ſtatuit, unumquemque Apoſtolorum ſingularem docendi viam elegiſſe, & novum, quod ipſis viſum ſit, idoneum jeciſſe fundamentum. Nimirum provocavit SPINOZA in tractatu Theologico-Politico, ejusque capite XI. ut divinam apoſtolorum eluderet inſpirationem, ad effatum, quod in epiſtola ad Roman. XV. 20. ita legitur: *ſollicite curans, ut praedicarem, non ubi invocatum eſſet nomen Chriſti, ne aedificarem ſuper alienum fundamentum.* Ex hoc dicto hanc colligit ratiunculam SPINOZA: *Si omnes ſupra idem fundamentum Chriſtianam religionem aedificaſſent, nulla ratione Paullum alterius apoſtoli fundamenta aliena vocare potuiſſe.* Praeter autem, quam, quod Paullus in aliis oraculis hoc fundamentum, quod Chriſtus & doctrina apoſtolorum de Ieſu eſt, planius afferat, 1. Cor. III. 11. Act. XXVI. 22. Epheſ. II. 20. minime ex hoc ad Romanos effato ſequitur, quemlibet apoſtolum ſingulare & diverſum in religione propaganda poſuiſſe fundamentum, ſed illud tantum inde profluit, Paullum gentium doctorem in illis potiſſimum terrarum tractibus, in quibus doctrina de Ieſu nondum erat praedicata, ſuo defunctum eſſe officio, ne alienos ſibi vindicaret labores, quod II. Corinth. X. v. 13. 14. his monet verbis: *Non ſupra modum gloriantes in alienis laboribus,*

bus,

a) vid. Eſſays upon Matth. Chap. XVI. v. 18. Anſw. 6. p. 183. a Lond.

b) vid. Ej. Exercitat. V. ad h. Math. l. p. 52.

c) vid. Ej. Cur. Philolog. ad h. l. p. 252. ſeq.

bus, ſed ex modo regulae, quam Deus nobis tribuit, ut etiam ad vos usque pertingamus. Ubi per μέτρον τοῦ κανόνος, οὗ ἐμέρισεν ὁ Θεὸς, *per modum canonis, quem Deus ipſi dimenſus eſt*, procul dubio intelligitur illa terrarum, quas doctrina de Ieſu rigare, nec non inundare debuit, pars. Non omnibus in terrarum regionibus una omnes apoſtoli praedicarunt, ſed in illos ſe contulerunt tractus, quos ipſis Deus aſſignaverat evangelio illuſtrandos. Quem SPINOZAE errorem annotavit RICH. SIMONIVS, d) ſed feliciter proſtravit IO. HENR. MAJVS. e) Agedum ſtatuamus nunc cum GOTTIO, Petrum fuiſſe religionis & fidei Chriſtianae fundamentum, rite inde conſequitur, Apoſtolos non Chriſto, ſed Petro, quem fundamenti loco poſuiſſent, collegiſſe eccleſiam. Sequitur ulterius, omnes apoſtolos Petrum ob oculos habere, & ejus nomen illis, ad quod acceſſerant, coetibus ſtatim annuntiare, nec non indicare debuiſſe, Petrum eſſe totius eccleſiae caput, & lapidem ſacrum, quo inniti debeat tota, qua patet, eccleſia. At nullum hujus rei offendo veſtigium. *Primo* loco ponendam cenſeo totam Petri, quam die Pentecoſtes ad copioſiſſimum coetum habuit, orationem, in qua non ſe, ſed Chriſtum eccleſiae fundamentum eſſe, his diſertis proponit verbis: *Quare nunc aperte cognoſcat tota Iſraëlis domus, dominum & Chriſtum factum eſſe a Deo hunc ipſum Ieſum, quem vos in crucem egiſtis.* Actor. II. 36. conf. Act. V. 31. Si fingis fundamentum ſecundarium, illud eſſe figmentum, repono, quum praeter fundamentum perſonale, quod eſt Chriſtus, & reale, quod eſt doctrina, nullum aliud ſit ſtatuendum. *Secundo* obſervo, ſummum fuiſſe apoſtolorum in doctrina conſenſum, ſed caput de fundamento, & capite viſibili, quod eſſet Petrus, ab omnibus apoſtolis prorſus eſſe praeteritum. Quotquot ſalutarunt apoſtoli hominum coetus, ſalutarunt autem ſat multos, illis non Petrum, ſed Chriſtum annunciarunt. Nec *tertio* praetermittere debeo inſigne noſtrae diſputationis firmamentum ſaepe jam laudatum, quo Epheſ. II. 20. aſſeritur: *Vos ſuper apoſtolorum & prophetarum fundamentum extructi eſtis, anguli capite ipſo Ieſu Chriſto.* Si GOTTII perſvaſio firmo ſtaret loco, ſcribendum fuiſſet Paullo, ſuper apoſtoli Petri fundamentum extructi eſtis, anguli capite ipſo Petro. Frigidum autem hoc eſt, quia non

Z 2 Petrus

d) vid. Hiſtoire Critique du Nouveau Teſtam. Chap. XXV. p. 298.

e) vid. Examen Hiſtoriae Critic. N. T. Rich. Simon. ad Cap. XXV. p. 336. ſeq.

Petrus ſolum, ſed omnes apoſtoli a Chriſto fuerunt amandati, ut magiſtro ſuo colligerent eccleſiam. Addo tandem, me nullibi legiſſe, Chriſtum ſuam, quam in terra condidit, tam lubricis ſuperſtruxiſſe eccleſiam fundamentis, qualia ſunt homines mortales, caduci, vagi, mutabiles, & omnibus obnoxii erroribus, ſed illa doctrina, quam apoſtoli diſſeminarunt, eſt illud firmamentum Caucaſo firmius. Ubi quaeſo unquam apoſtoli Ieſu hanc inanem imo frivolam venati ſunt gloriam, ut ſe eccleſiae Chriſtianae fundamentum appellarent? Se ſolos eſſe artifices & architectos hujus aedificii, qui ſociam operam attulerunt, ſumma cum modeſtia, & rei veritate dixerunt. Ita Paullus: *ſecundum gratiam Dei datam mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperaedificat. Unusquisque autem videat, quomodo ſuperaedificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, praeter jactum, quod eſt Chriſtus Ieſus.* I. Cor. III. 10. 11. Hic expreſſis verbis Paullus fundamentum inter & architectum diſtinguit, prius Chriſto ſoli, poſterius ſibi vindicat. Fundamentum autem reale, de quo agit Paullus, aliud eſſe non poteſt, niſi prophetarum & apoſtolorum doctrina, quam nobis tradiderunt, & cujus veritatem nullae unquam labefactabunt temporis injuriae & hoſtium inſultus. Si Petrus eccleſiae fundamentum caputque fuiſſet, non opus erat, ſuos commilitones ad λόγον βεβαιότερον καὶ προφητικὸν, cui inhaerendum, ablegare, ſe ipſum debebat tanquam falli neſcium & firmum adferre fundamentum. II. Petr. I, 19.

§. XCIX.

Regerit GOTTIVS, tam benignam Ieſu de Petro ſententiam ipſi eandem, quam olim Pharaonis mandatum Joſepho peperit dignitatem, conciliare praeſtantiam. Eandem inflat CALMETVS f) tibiam, qui ad haec Ieſu verba obſervat: *Haec eſt juſta confeſſionis S. Petri remuneratio.* En novum GOTTII & CALMETI inventum, his auctoribus in ſinum refundendum. Minuta ſatis eſt, quam GOTTIVS de Chriſti poteſtate & potentia habet, ſententia. Rex Pharao in regenda & bene adminiſtranda republica, praeſertim ob imminentem annonae caritatem, omnino indigebat Joſephi opera, quum eſſet homo, & manibus in ſinum abjectis, cuti-

culam

f) vid. Ej. Op. Comment. Tom. VII. ad h. l. p. 231.

Digitized by Google

culam tantum curaret, & molliter viveret. Putaſne, hic parva cum magnis eſſe componenda? Chriſtus ſua potentia & providentia totum mundum eccleſiamque ſuam gubernat, & eidem aeque ac ſingulis eccleſiae membris invigilat & adfert opem, auxilium, ſolatium, neque rerum ſuarum negligens eſt, ut Pharao, quod dicta ſacra: Math. XXVIII. 18. & 20. Marc. XVI. 20. Act. XX. 32. 2. Corinth. XIII. 3. excellenter confirmant. Mitto argumentum, quod ſuos inventores facile dabit in pudorem. Quod ſi vero ex GOTTII ſententia, & re a veritate alieniſſima diſputarem, & concederem, Ieſu verba ad hunc modum eſſe explicanda, duplex GOTTIO incumberet probatio: ALTERA, ſolum Petrum jure divino & voluntate Chriſti habuiſſe ſucceſſorem, aequali potentia, & virtute falli neſcia gaudentem. At enim vero ordini & eccleſiae ſtatui non repugnat, plures exiſtere falli ignaros, qua praeſtantia donati fuerunt Ieſu apoſtoli. Sequitur inde, reliquorum apoſtolorum ſucceſſores vel eadem cum Petri ſucceſſoribus polluiſſe auctoritate, vel illos minoris fuiſſe gradus & dignitatis. Ecquis nunc vadem ſe nobis obtulerit, illos doctrinam Chriſti tam ſane, pure, & illibate tradidiſſe, quam Petri ſucceſſores in ſede Romana non ſolum ſumme in doctrina rudes, ſed & exitialibus doctrinis deditos, magicos, Atheiſtas, Naturaliſtas, & horrendis inauditisque ſceleribus commaculatos, quod in pudorem Romanenſium adducere nolo. Si igitur haec Ieſu promiſſio Petri ſucceſſoribus foret vindicanda, his naevis & ſpurcitie carere debuiſſent. ALTERA, quam expectamus, probatio, illa eſt, qua adſtruitur, ſolum epiſcopum Romanum jure divino eſſe Petri ſucceſſorem, & non Antiochenum, neque Hieroſolymitanum, neque Caeſarienſem, in quibus eccleſiis tamen Petrus docuit. Adferant nunc Romanenſes e tineoſo ſuo antiquiſſimorum documentorum ſcrinio rei teſtimonium, quo Chriſtus ſolos Petri ſucceſſores in ſede Romana hac mactavit dignitate, quod argumentum nobiscum urget RICHARDVS WARDIVS. g)

§. C.

Novum nobis propinat GOTTIVS effatum, quo Petri primatum demonſtret. En ipſius verba: *Vis promiſſam Petro in fide conſtantiam? Audi Chriſtum, Luc. XXII. 32. qui, ubi apoſtolis omnibus*

Z 3

g) vid. Ej. Eſſays upon Math. Cap. XVI. v. 18. Anſw. V. §. III. p. 183

Digitized by Google

bus dixit: Ecce Satan expetivit vos, ut cribraret, ſicut triticum, Petro ſoli ad eos confirmandos pollicitus eſt a Patre dandam poſt lapſum, non pro ſe ſolum, ſed & pro aliis etiam in fide ſtabiliendis, firmitatem. Ego autem rogavi propter te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Levidenſe ſane eſt ad firmandam Petri auctoritatem, quod extat Luc. XXII. 31. 32. argumentum. *Primo* igitur reponimus, Ieſum in hac promiſſione agere de ipſo Petro, neutiquam vero de ipſius ſucceſſoribus, quod res ipſa declarat. Reſtringitur illa ipſa Ieſu promiſſio ad ſolum Petrum, neque ad reliquos diſcipulos, quia praevidit ſervator optimus graviſſimum Petri lapſum, quo tribus doctorem ſuum praefracta plane fronte abnegavit vicibus. Licet autem Chriſtus pro omnibus in genere orarit diſcipulis, pro Petro tamen in ſpecie rogavit patrem, tanquam gravius lapſuro, quae exigua eſt, quantum ex noſtro GERHARDO h) colligitur, prae reliquis dignitas. *Secundo* obſervamus, agere Ieſum non de privilegio aliquo, aut dignitatis praerogativa, ſed de fide Petri finaliter non defectura. Quid igitur inde, ſi mitius cum GOTTIO agerem, ſequeretur aliud, niſi hoc, Petri ſucceſſores, falli, ſi credere fas eſt, neſcios, cum Petro in graviſſima peccata eſſe prolapſuros, ſed ad veram fidem redituros, ita ut finaliter fide excidere nequeant. Regerimus *tertio*, Petri lapſum etiam poſt ſpiritus ſancti effuſionem factum, quem Galat. II. 13. legimus relatum. Quo ipſo oſtenditur, hoc, quod Romanenſes conſtituunt, eccleſiae caput fuiſſe naevis, extra inſpirationis actum, perpetuo obnoxium. Quod ſi nunc has Ieſu pro Petro preces ad patrem coeleſtem effuſas pro ſingulari reputaveris excellentia, habeo, quod volo. Donabis mihi, primum ſedis Romanae epiſcopum aliquid humani eſſe paſſum, ſed rediiſſe ad frugem. Prono inde ſequitur nexu, quia imbellis columba non aquilam generat ferocem, Petri ſucceſſores foediſſimorum reos eſſe errorum; ſpe tamen redeundi ad ſaniora principia non excluſos. Sic itaque tranſit gloria Petri! Inſuper provoco ad Ioannis cap. XVII. ejusque comma 20. in quo adſerit Chriſtus: *ego oro non ſolum pro illis, videlicet diſcipulis, ſed & pro illis, qui per ipſorum verbum in me credunt.* Corruit nunc auctoritas ſoli Petro vindicata, quia hujus interpellationis non ſolum omnes diſcipuli, ſed & fideles ſacris Chriſtiano-

h) vid. Ej. Confeſſ. Catholic. Part. I. Lib. II. Art. III. Cap. II. p. 543.

Digitized by Google

ſtianorum initiati ſunt capaces. Si urges majorem interpellationis gradum, urgere licet, & majorem Petri prae reliquis apoſtolis lapſum. Bene ſe nunc habeat GOTTIVS cum hoc Petri auctoritatis fundamento.

§. CI.

Haud majoris eſt ponderis, quo nunc inſurgit GOTTIVS, argumentum, quod ex demandata pro ovibus provincia feliciter gerenda, hanc in rationem conſuit: *Vis demum*, inquit, *audire, Petrum delegatum a Chriſto, jam ad Patrem aſcenſuro, loco ſui paſtorem ad regendas generaliter oves ſuas & agnos? Lege caput XXI. Ioannis, & videbis, Chriſtum ter Petro dicentem: Paſce oves meas. Quod ſi te iſta & alia non movent, moverunt quidem Chriſtianos, & praecipuos omnium ſeculorum patres, ut ex iſtis agnoſcerent in Petro ſingularem capitis in regenda Chriſti eccleſia collocatam dignitatem.* i) Aperte profiteor, me hanc GOTTII ratiunculam non movere. Movebo vero procul dubio GOTTII amicis inter viventes adhuc relictis bilem, ſi dixero: imaginarium eſſe, quem ſibi fingit GOTTIVS, Petri primatum, licet FRANCISCVS TVRRIANVS k) hanc Petri dignitatem integro libello demonſtrare ſit annifus. *Primo* enim voces βόσκειν & ποιμαίνειν non differunt, ſed utrumque verbum, quod concedit CORNELIVS JANSENIVS, l) habet paſcendi, non vero dominandi notionem & ſignificatum. Quo in momento fidem JANSENIO non detrahit FRIDERICVS ADOLPHVS LAMPIVS, m) qui ita commentatur: *Iterum hic levis occurrit differentia in verbis. Nam pro ποιμαίνειν dicitur βόσκειν. Duplex ſane iſtud paſtoralis muneris exercitium tum per alimenti ſani ac recreantis in praeconio evangelii praeſtationem, tum per greſſuum in via recta directionem ſemper alternat. Et non agni duntaxat, verum etiam oves magis provectae atque exercitatae refectione indigent. Nihil in tota hac officii praeſcriptione, quod Petrus obeundum in eccleſia habebat, occurrit, in quo*

i) vid. l. c. p. 333.

k) vid. Ej. Defenſ. Locor. Scriptur. S. de Eccleſ. Cathol. & ej. Paſtore Epiſcopo Roman. B. Petri principis Apoſtolor. Succeſſ. edit. 1580.

l) vid. Ej. Commentar. in Concord. Evangelic. Cap. CXLVI. p. 303.

m) vid. Ej. Commentar. Analytico-Exeget. in Evangel. St. Ioann. Tom. III. ad h. l. p. 153.

Digitized by Google

quo vel minimum primatus ejus occurrat veſtigium. **Nam 1.)** *nibil hic demandatur, quod non etiam caeteris apoſtolis, quin omnibus eccleſiae paſtoribus, pro modulo ſuo, incumbit. 2.) Servator noſter bis verbis noluit munus in eccleſia gerendum Petro demandare, ſed officium duntaxat ei injungere, atque* τύπον *exbibere, ſecundum quem in illo verſari debebat, qui typus plane a praetenſo Petri primatu abludit, qualem fictitii ejus ſucceſſores exercent, dum paſtoralem curam in tyrannidem convertunt, gregem domini ſibi ſubjecerunt, omne diſcrimen inter agnos atque oves ſuſtulerunt &c. 3.) Pia antiquitas plane nobiscum ſentit, ut ex ipſo* AMBROSIO, CHRYSOSTOMO, *atque aliis, quos pro ſe pontificii adducere ſolent, a viris doctis eſt confectum.* Nullam incurram cenſuram, ſi his, quae ex LAMPIO prolixe adduxi, limatam ROBERTI HARRISII, n) in Anglia aeque ac noſtris terminis haud incelebris theologi, qui in hunc, de quo agimus, locum, ſatis dextre commentatur, & adverſus ſtrigoſam ROBERTI, noſtro ROBERTO multis paraſangis inferioris, BELLARMINI, inquam, ſententiam perapte diſputat, attulero commentationem. Obſervat *primo:* verba, paſce oves meas, non ad ſolum Petrum eſſe directa. Juvat ipſius mentem excitare: Soli Petro iſta dixit Chriſtus. Quid tum poſtea: ergo Petri inanis larva (pontifex Romanus) in ſummo faſtigio collocabitur? quam nullo modo iſtud ſequitur. Soli Joſuae dixit dominus: te non deſeram. Ergo de ſolo dixit. *Porro* monet, idem officium aliis in locis, Math. XXVIII. 19. Io. XVIII. & XX. 23. apoſtolis eſſe demandatum. *Ulterius* urget, apud probatos auctores vocem ποιμαίνειν utrumque & jus ſummum, quo quis ſummus paſtor eſt, & poteſtatem inferiorem, qua quis ſub alio paſtore eſt, ſuſtinere ſignificatum. Adjicit denique, hanc vocem ποιμαίνειν in ſacra pagina non tam dominationem, quam potius miniſterium ſeu officium in eccleſia ſubeundum ſignificare. Epheſ. IV. 11. 1. Petr. V. 1. Nec ſine nervo eſt, quod coronidis loco producit argumentum HARRISIUS, idem verbum rem magis negotioſam quam gratioſam ſignificare. Id nimirum indicare voluit Chriſtus, Petrum ſua ſpe privatum iri, qua optabat, primas imperii, quod expectabat, mundani forte tenere partes. Non otium, ſed negotium Petro, uti

n) vid. Ej. Works, and Sermons Concio ad Clerum ad h. Ioan. loc. p. 2. & 3. a Lond. 1654.

Digitized by Google

uti reliquis apoſtolis, demandavit Ieſus, quod officium, de quo agit Chriſtus, non ſoli Petro, ſed omnibus eccleſiae epiſcopis ac doctoribus eſt traditum, quantum ex Marc. XVI. 11. Act. XX. 28. 1. Petr. V. 2. intelligimus. Quae hactenus diſputavimus, vera quidem, quin imo omni fide ſunt majora, ſed Romanenſibus, ad quorum non ſunt palatum, minime arridebunt. Idem enim ipſis, quod hominibus praepeditis ſemel opinionibus innutritis accidit, uſu venire ſolet. Finge homines praeconcepta de mundorum pluralitate, aut de portentis cometarum perſvaſione obrutos; in omnibus planetis & primae magnitudinis ſideribus, priores deprehendent novum terrarum tractum & incolas, neſcio, quo corpore & forma praeditos, poſteriores autem ex omnibus phaenomenis cometarum elicient portenta, & minacia toti orbi pericula. Eodem laborant Romanenſes morbo prorſus imaginario, ut ex quovis oraculo, a Ieſu liberius & propenſius dicto, Petri auctoritatem & excellentiam ceteris apoſtolis praeferendam frigide adſerant. Majorem vocibus ποιμαίνειν & βόσκειν poteſtatem & vim, quam oves paſcendi, quod priſcae mortalium genti fuerit proprium, ineſſe arbitrantur, ſtatuentes, hoc nomine regiam, & imperatoriam indicari dignitatem. Verum eſt, quantum antiquitatum docent monumenta, reges, & rerum publicarum ſtatores nomine paſtorum eſſe ſalutatos, quod perſona divi Petri adprime foret dignum. Prius Pontificiis lubens largior, ſed poſterius prorſus nego. Obvia ſunt in codice ſacro veteris inſtrumenti effata, in quibus modo Deus Pſ. XXIII. 1. modo principes & reges, Pſ. LXXIV. 1. Jer. II. 8. cap. III. 15. cap. VI. 2. modo miniſtri publici 1. Sam. XXI. 8. modo denique miniſtri eccleſiae Epheſ. IV. 11. 1. Petr. V. 2. paſtorum mactantur encomio. Amice conſpirant cum hocce titulo profanorum auctorum tituli. Ita HOMERVS poetarum coryphaeus imperatores & reges ποιμένας λαῶν paſtores populorum compellavit, & DRYANTEM, o) nec non AGAMEMNONEM, p) hoc nomine adornavit. Quod illuſtre principum cognomen ita explicat Socrates apud XENOPHONTEM,*) *quum aliquando in aliquem incidiſſet, qui delectus erat, ut imperatorio munere fungeretur, quam ob rem, ait, HOMERVM exiſtimas adpellaſſe Agamemnonem paſtorem populorum? Annon ideo, quod, quemadmo-*

A a

o) vid. Iliad. I. 263. Δρύαντά τε ποιμένα λαῶν.
p) vid. Iliad. II. 245.
*) Memorabil. Lib. III. p. m. 763.

admodum paſtorem in hoc adhibere curam oportet, ut oves & ſalvae ſint, & habeant pabulum neceſſarium; ita etiam imperatori curandum ſit, ut milites ſint incolumes, ut commeatum habeant, id ipſum hoc modo conſecuturi, cujus cauſa militant? Ut alia documenta, & tritum illud Tiberianum omittam: Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.**) Quae quum ſint certiſſima, minime tamen Pontificiorum opitulantur ſententiae, quia neque ſpirituale, neque temporale, utrumque enim affectant Petri ſucceſſores, Petro regimen conceſſit Chriſtus. Quo vero eo planior & evidentior noſtra evadat meditatio, ita argumentamur: Quo modo Chriſtus non pavit oves & agnos, cum in his terris degeret, eodem modo nec Petro oves & agnos paſcendos demandavit. Atqui Chriſtus in his terris oves non pavit, illas magiſtratui civili ſubtrahendo, non ſtatum aliquem, cui praeeſſet, civilem & ſingularem conſtituendo, non denique more imperatorum & regum humano regnando. Ergo nec Petro iſto modo oves commiſit; niſi alio, quam quo ipſe Chriſtus, ſummus animarum epiſcopus, modo functus eſt, oves paſcendas ei eſſe demandatas dicere velis. Veritas majoris propoſitionis ſua radiat luce. Temerarium enim foret, Petro majorem aſſignare dignitatem ea, quam Chriſtus in hoc mundo tanquam paſtor ſummus ſuſtinuit. Putaſne, Chriſtum gregarii ordinis fuiſſe paſtorem, Petrum autem primi? Credisne, Chriſtum, qui ſummo ſtudio collegit oves, & easdem ſalutari ſatiavit pabulo, verbo inquam, & ſuo ſanguine, Petro hanc attribuiſſe poteſtatem, ut miſeris ovibus dominaretur, easdem degluberet, & illarum veſceretur carne, quod egregie didicerunt Pontifices? Haec ſane explicatio huic, de quo diſputamus, effato, magis infertur, quam ex illo effertur, quod impudentis & mali eſt interpretis. Si vel unicum attulerint Romanenſes locum, ex quo pateſcat, Chriſtum mundanum, cum paſceret oves, ſtabiliviſſe imperium, quale nunc ſuſtinent Romani epiſcopi, noſtrum ipſis non denegabimus ſuffragium. Sin vero minus id effecerint, quod certe nunquam efficient, ſtabimus, neque ullo modo recedemus, loco noſtro, Pontificios hoc Ieſu effatum mala tractare fide, & in ipſum Ieſum, cui hac ratione praeferunt Petrum, illuſtriorem illum ovium paſtorem, eſſe oppido injurios. Imis animi medullis infixus eſt ille, quo Romani epiſcopi impenſe gloriantur, titulus, quo olim paſtores dicti ſunt, & quem

LEO

**) vid. Sueton. in vit. Tiberii Cap. XXXII.

LEO M. in ſuis epiſtolis vel ſexcenties ſibi attribuit. At recte jam jam obſervat acutus DAVID BLONDELLVS, q) hoc nomen, quantum ex Patrum ſcriptis intelligitur, non ſoli Petri vicario, ſed omnibus competere reipublicae eccleſiaſticae epiſcopis. Satis planum eſt ISIDORI PELVSIOTAE r) teſtimonium, hunc in modum conſtructum: *Cum ipſe verus paſtor per adorandorum evangeliorum apertionem accedit, tum demum epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum dominum ipſum, paſtoralis artis ducem, ac Deum & herum adeſſe ſignificans.* Donanda eſſet epiſcopis Romanis haec compellatio, niſi duo in illis nobis eſſent reprehendenda. *Alterum* eſt ſumma, quam hoc titulo in omnes paſtores affectant, auctoritas; *alterum* vero eſt peſſima hujus officii adminiſtrandi ratio. Veritati adeo conſentanea eſt illa, quam ſuo aevo de eccleſiae paſtoribus movit AVGVSTINVS, s) querela, ut in paſtorem Romanum optime quadret. Lege, quaeſo, illam, ita fluentem: *Alii ſunt ergo, qui propterea tenent paſtorales cathedras, ut Chriſti gregibus conſulant; alii vero, qui propterea in eis ſedent, ut ſuis honoribus temporalibus & commodis ſecularibus gaudeant. Illa duo genera paſtorum, aliis morientibus, aliis paſcentibus, in ipſa catholica eccleſia, neceſſe eſt, usque ad finem ſeculi, & usque ad domini judicium perſeverent.* En veram Romanorum paſtorum indolem. Salus ovium ipſis haud curae eſt, alias ſalutare pabulum & ſacramenta non adulteraſſent & defoedaſſent. Auri ſacra fames illos adeo occupat, ut totius orbis divitias appetant. Petrus primus, ſi credere fas eſt, ſedis Romanae praeſul, claudum illum in porta templi commorantem, & ſtipem ab apoſtolis petentem, ita allocutus eſt: *nec argentum, nec aurum mihi eſt.* Act. III. 6. Beatioris autem ſortis ſunt ejus ſucceſſores, qui mundi opes corradunt, quod fuſius docuit ſaepe laudatus CYPRIANVS, t) curam autem ovium ne tanti quidem aeſtimant. Parum, quod reliquum eſt, foecundum crediderim futurum fuiſſe Chriſti gregem, ſi ſolus Petrus paviſſet oves & agnos. Haec ſunt illa, quae nobis oppoſuit GOTTIVS effata.

Aa 2 §. CII.

q) vid. Traittè de la Primaute en l' Egliſe Continuation de la Replique Cap. XXV Sect. IV. du Titre de Bon paſteur. p. m. 36. ſeq.
r) vid. Lib. I. Epiſt. CXXXVI. p. m. 34.
s) vid. Op. T. II. Epiſt. CCVIII. p. 589. edit. Bened.
t) vid. Ej. Solid. demonſtrat. de Ortu & Progreſſu Papiſmi Cap. XVIII. p. 447. ſeq.

§. CII.

Tertia nunc argumentorum claſſis eſt examinanda, in qua probare ſatagit GOTTIVS, tam Graecos, quam Latinos patres per petram ipſum intellexiſſe Petrum, ipſiusque prae ceteris apoſtolis agnoviſſe auctoritatem. Eloquatur nunc GOTTIVS. u) *Sed audiamus, quibus ab hac confitenda veritate ſe excuſent Reformati. Dicunt primo, Petram, ſupra quam aedificata eſt eccleſia, non eſſe Petrum, ſed ipſum Chriſtum, de quo dicitur: Petra autem erat Chriſtus. Unde Paullus 1. Cor. III. 11. Fundamentum enim, inquit, aliud nemo poteſt ponere, praeter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Hunc tamen ſcrupulum antiqui, ſive graeci ſive latini, patres non habuerunt, ſed petram, ſupra quam Chriſtus dixit, ſe velle aedificare eccleſiam ſuam, Petrum agnoverunt.* Antequam claſſica canamus, cum DALLAEO x) optime obſervamus, patres rerum controverſarum non eſſe, neque eſſe poſſe judices, quum non ad eorum placita, ſed ad ſolam ſcripturam ſacram ablegemur. Accedit, illa, de quibus ſequioribus ſeculis eſt diſputatum, doctrinae capita, illorum aetate ſub concertationem tanta induſtria & zelo non eſſe vocata. Perluſtrabimus itaque paucis difficiliora, quae nobis opponit GOTTIVS, Patrum effata. *Primum* eſt, quod ex *Origene* eruit, cujus ſententia huc redit: *Petrus per promiſſionem meruit fieri eccleſiae fundamentum.* y) Subdole agit GOTTIVS, qui, quod potiſſimum in rem facit ſuam, colligit. Legere & addere debuiſſet novus veritatis evangelicae debellator, verba, quae ſtatim ſequuntur, ex quibus videre eſt, quam lubricum, & ruinoſum ſit hoc, quod gratis aſſumſit, eccleſiae fundamentum. En verba ipſa in ſuo nexu: *Tu es Chriſtus, Dei vivi, in quo & beatificatus eſt, & per promiſſionem meruit fieri eccleſiae fundamentum. Ex mendacio autem, quod dixit: Propitius tibi eſto, & hoc tibi non erit. Falſum enim inventum eſt, quod dixit: & hoc tibi non erit. Poſtquam enim abiit in Hieroſolymam, multa paſſus eſt, a quibus paſſus eſt. Et quod dixit: bonum eſt, nos hic eſſe, dixit, ſuggerente ſibi*

u) vid. l. c. §. III. p. 333.

x) vid. Ej. Lib. II. Cap. VI. p. 305. de uſu patr.

y) vid. Gott. l. c. p. 334. & Origen. Commentar. in Math. cap. XVII. Tract. III. p. m. 47.

Google

ſibi mendacio. z) Largitur his ipſis in commentationibus ORIGENES, Petrum errori & mendacio, illo ipſo, quo haec dixerat Chriſtus, tempore, obnoxium fuiſſe, nec ſatis de morte Chriſti conſtantem. Qua vero fieri poteſt ratione, ut homo, qui in maximis, & ſumme neceſſariis fidei articulis animo haeſitat, ceſpitat, & fluctuat, eccleſiae fieri poſſet fulcrum.

§. CIII.

Ne vero ipſe ambigere videar, placet ORIGENEM, ex ipſo ORIGENE, interpretari, quia quilibet optimus eſt verborum ſuorum interpres. Cur non GOTTIVS verba in antecedentibus prolata ex ORIGENE recitavit? cur illa ſicco praeteriit pede, quorum tamen argumentum, in commentatione ſtatim adferenda, ex inſtituto tractat? Mala ſane egit hic purpuratus pater fide, qui hominibus vervecinis, non vero proteſtantibus theologis, qui accuratiori mentis acie patrum perluſtrant effata, peſſime impoſuit, & fucum vendidit. Cordate agam, & totam ORIGENIS orationem adferam, ut unusquisque ſtatim intelligat, utrum GOTTIVS fideliter egerit, nec ne? Haud legiſſe poenitebit omnem verborum ambitum. a) *Fortaſſis autem, quod Simon Petrus reſpondens dixit: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi: ſi dixerimus ita, quemadmodum dixit Petrus, non a carne & ſanguine nobis revelatum, ſed a luce, quae illuxit cordi noſtro, a patre, qui eſt in coelis ſummus, & ipſi, quod fuit Petrus, ſimiliterque, ut ille, praedicamur beati, propterea quod, quae illi cauſae extiterunt beatificationis, eadem ad nos quoque pervenerunt, eo quod caro & ſanguis nobis non revelavit, Ieſum eſſe Chriſtum, filium Dei vivi: ſed ab ipſis coelis, pater, qui eſt in coelis, ut in coelis converſationem habeamus, revelavit nobis revelationem ſubducentem in coelos, eos, qui non ſolum omne velamen tollunt a corde, verum etiam acceperunt ſpiritum ſapientiae Dei ac revelationis. Quod ſi nos quoque locuti, quod dixit Petrus: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi, tanquam non accepta hujus revelatione a carne & ſanguine, ſed luce, cordi noſtro illuceſcente, a patre, qui in coelis eſt, efficimur Petrus; & nobis dicetur, quod hunc ſermonem ſequitur: Tu es Petrus: & caetera, quae ſequun-*

z) vid. l. c. p. 47.

a) vid. l. c. in Math. Tractat. I. in Cap. XVI. p. m. 35. & 36.

Digitized by Google

quuntur. Petra eſt enim, quisquis Chriſti diſcipulus eſt, ex quo biberunt de ſpirituali conſequente petra. Et ſuper talem petram conſtruitur omnis eccleſiaſtica doctrina, & ſecundum hanc vitae inſtitutio. In unoquoque enim perfecto habente congregationem eorum, qui complent beatitudinem verborum, factorum, & ſenſuum, eſt, quae a Deo aedificatur, eccleſia. Quod ſi ſuper unum illum Petrum tantum exiſtimas aedificari eccleſiam totam, quid dicturus es de Ioanne, filio tonitrui, & apoſtolorum unoquoque? Quin alioqui num audebimus dicere, quod adverſus Petrum unum non praevaliturae ſint portae inferorum, adverſus caeteros autem apoſtolos ac praefectos praevaliturae ſint; ut non potius in omnibus ac ſingulis eorum, de quibus dictum eſt, ſit illud, quod dictum eſt, & portae inferorum non praevalebunt adverſus eam? item illud: Super hanc petram aedificabo eccleſiam meam. An vero ſoli Petro dantur a Chriſto claves regni coelorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus eſt? quodſi dictum hoc: Tibi dabo claves regni coelorum, caeteris quoque commune eſt, cur non ſimul omnia, & quae prius dicta ſunt, & quae ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnium communia? Nam hic & illud velut ad Petrum videtur dictum: Quaecunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in coelis, & quae ſequuntur. Caeterum in evangelio Ioannis, Servator, dans ſpiritum ſanctum diſcipulis per inſufflationem, ait: accipite ſpiritum ſanctum. Habes ORIGENIS verba, ne verbulo quidem mutato. Satis plana & ſobria eſt haec ORIGENIS expoſitio, qua demonſtrat, non Petrum ſolum, ſed unumquemque apoſtolum, & diſcipulum eſſe petram. Exponit porro, hos ipſos diſcipulos non ſuas doctrinas ex ipſorum quaſi primo fonte promanantes aliis propinaſſe, ſed doctrinas, doctrinaeque capita, quae ex ſpirituali petra conſequente biberant. Videtur mihi ORIGENES illud Petri innuere effatum: *nunquam ex voluntate hominis allata eſt aliquando prophetia, ſed a ſpiritu ſancto acti, locuti ſunt ſancti Dei homines.* 2. Petr. I. 21. Si igitur eccleſia aedificata eſt ſuper doctrinam, quam didicerunt apoſtoli a Ieſu, qua fide dixeris, Petrum, fundamentum eccleſiae, quum potius doctrina apoſtolorum ſit fundamentum, ut ex Epheſ. cap. II. v. 20. pateſcit. Porro aſſerit ORIGENES, non ſolum Petrum, ſed & reliquos apoſtolos hujus divinae promiſſionis eſſe capaces, quod officio, quod ipſis demandavit Chriſtus, excellenter confirmat ORIGENES. Erubeſcent ſane ſagaciores in Romana eccleſia viri, qui hoc GOT-

Digitized by Google

TII mendum, & ne quid gravius dicam, falſiloquium primo nunc obtutu videbunt.

§. CIV.

Pari aſtutia egit GOTTIVS in altero, quem ex ORIGENE adduxit, loco, quem paucis ſub examen vocabo. Verba ORIGENIS ita ſunt conſtructa: *Fide magno illi eccleſiae fundamento & petrae ſolidiſſimae, ſuper quam Chriſtus fundavit eccleſiam.* b) Otium mihi in confutanda hac ſententia fecero, ſi totam verborum ſeriem excitavero. Ita vero apud ORIGENEM leguntur. c) *Tantum abeſt, ut permaneas fortis in fide, nec te Aegyptiorum equitatus, & quadrigarum formido perterreat, nec reclames contra legem Dei & Moſen, & dicas, ſicut quidam ex illis dixerunt: melius fuerat, nos ſervire Aegyptiis, quam mori in deſerto hoc. Haec fatiſcentis in tentatione animi verba ſunt. Sed quis ita beatus eſt, qui ſic tentationum pondus expediat, ut nulla menti ejus cogitatio ambiguitatis obrepat. Fide magno illi eccleſiae fundamento & petrae ſolidiſſimae, ſuper quam Chriſtus fundavit eccleſiam, quid dicant a domino: modice, inquit, fidei, quare dubitaſti?* Math. XIV. v. 31. Ex iis plane ſeſe offeret ORIGENIS ſenſus. ORIGENES ne minima quidem littera Petri meminit, ſed GOTTIVS hoc figmentum ex cerebello excoxit. Planum eſt ac pervium, ORIGENEM agere de vera fide, quae innititur promiſſione, quam abiturientes ex Aegypto receperant Iſraëlitae. Fides, quae creditur, eſt doctrina, & promiſſio divina; huic igitur fundamento eccleſiae innititur fides, qua creditur, quando fideles vera & ſalvifica fide in his promiſſionibus divinis prorſus acquieſcunt, quod Iſraëlitae in fide & promiſſione facta parum conſtantes neglexerant, & propterea feliciſſima exciderunt ſorte, ut tradit Paullus Hebr. III. v. 16. 17. cap. IV. 2. *Καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ κἀκεῖνοι, ἀλλ' οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνους, μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν. etenim ſumus evangelizati, quemadmodum & illi, ſed non profuit ſermo auditus illis, non admiſtus fidei audientibus.* conf. 1. Corinth. X. 10. 11. ſeq. Miror ſane, virum purpuratum tam lacerato, tineoſo, & obſito in ſcenam prodiiſſe veſtitu circumdatum, nec meminiſſe, ſe antea dictorum

debere

b) vid. l. c. apud Gottium p. 334. & apud Origen. in Homil. V. in Exod. cap. XII. XIII. & XIV. p. m. 74.

c) vid. l. c. p. 74.

debere eſſe memorem. Omnes, quotquot haec ORIGENIS verba, a me fideliter deſcripta, perluſtrant, appello teſtes, quam ſubdole egerit GOTTIVS, qui ORIGENE tam manifeſte eſt abuſus. Illuſtre ſane pontificiae integritatis vel fallaciae potius documentum, quod num condonaturi ſint cordati in Romana eccleſia viri GOTTIO, valde dubito.

§. CV.

Sermonem nunc GOTTIVS in St. BASILIVM, cujus abutitur auctoritate, ulterius transfert. d) *Baſilius inquit in Cap. II. Iſaiae: Petrus, ſupra quam petram, pollicitus fuerat, ſuam ſe aedificaturum eccleſiam.* Novum conglomeravit GOTTIVS griphum, dum vincula verborum prorſus diſſolvit, & pro lubitu elegit, quod ipſi videbatur peraptum. Recitanda ſunt in ſuo nexu & ordine St. BASILII verba, quae ita leguntur: e) εἰδέναι γὰρ, φησὶ, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, ἧς οἱ θεμέλιοί εἰσιν ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς ἁγίοις, ᾠκοδόμηται γὰρ ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν· ἓν τῶν ὀρέων ἦν καὶ Πέτρος, ἐφ᾽ ἧς καὶ πέτρας, ἐπηγγείλατο ὁ κύριος, οἰκοδομήσειν αὐτοῦ τὴν ἐκκλησίαν. τὰ γὰρ ὑψηλὰ καὶ διηρμένα φρονήματα καὶ ὑπαρνεστηκότα τῶν γηίνων, εἰκότως ὄρη προσαγορεύεται. πέτρα δὲ ὑψηλὴ, ἡ ψυχὴ τοῦ μακαρίου Πέτρου ὠνόμασται, διὰ τὸ παγίως ἐνερρίζῶσθαι τῇ πίστει, καὶ στερρῶς καὶ ἀνενδότως ἔχειν πρὸς τὰς ἐκ πειρασμῶν ἐπαγομένας πληγὰς, πάντες οὖν οἱ χωροῦντες τὴν τῆς θεότητος γνῶσιν, διὰ τὸ μέγεθος τοῦ νοῦ, καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ νοῦ πράξεων, τετελειωμένοι τῷ ὑγιεῖ βίῳ, τὰ ἄκρα εἰσὶ τῶν ὀρέων, ἐφ᾽ ὧν οἰκοδομεῖται τοῦ Θεοῦ οἶκος: *Sciendum eſt enim, inquit, quomodo oporteat verſari in Domo Dei, quae eſt eccleſia Dei viventis, cujus fundamenta ſunt, in montibus ſanctis. Eſt enim aedificata ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum. Unus ex his montibus erat & Petrus, ſupra quam Petram pollicitus fuerat dominus, ſuam ſe aedificaturum eccleſiam. Verum enimvero ſublimes & elati animi & a terrenis ſeſe ſuſtollentes, jure optimo montes appellantur. Anima autem beati Petri vocata eſt ſublimis petra, propterea quod firmas in fide radices egerit, conſtanterque & fortiter plagas in tentationibus illatas per-*

d) vid. l. c. apud. Gott. p. 334. in Baſilii Op. Tom. I. Commentar. in Jeſ. Cap. II. p. 427. edit. Benedict.

e) vid. l. c.

pertulerit. Quicunque igitur divinitatis cognitionem percepere, ob mentis & earum actionum, quae ex ea proficiſcuntur, amplitudinem, ſaniore vita conſummati vertices ſunt montium, in quibus Dei domus exaedificatur. Primo reſpicit BASILIVS ad Jeſaiae caput II. ejusque comma ſecundum, in quo de montis domini & domus Dei altitudine agitur. Illud Jeſaiae vaticinium perapte applicat ad eccleſiam Chriſtianam, & demonſtrat, illam montibus infixam eſſe ſanctis. Nemo non videt, BASILIVM pro more, hoc eſt, improprie, de piis & fidelibus, qui ob fidei conſtantiam non male cum montibus & rupibus conferuntur, loqui. Id patet ſtatim ex illis verbis: *unus ex his montibus erat & Petrus.* Et porro: *ſublimes & elati animi, & a terrenis ſe ſuſtollentes, jure optimo montes appellantur. Secundo* monet, Petri animam, & non Petrum, fuiſſe petram, ob ſingularem animi conſtantiam, qua firmas in fide egerat radices. Quid quaeſo nunc planius eſt hoc BASILII loco? Ecquis non primo oculo intelliget, BASILIVM accurate inter Petrum & Petri fidem in Chriſtum, & confeſſionem Ieſu diſtinguere. *Tertio*, obſervamus, BASILIVM, hanc gloriam neutiquam ſoli Petro adſcribere, ſed omnibus, qui veram in Chriſtum habent fidem, hanc mancipare dignitatem, quia addit: *Quicunque igitur divinitatis cognitionem percepere, ob mentis, & earum actionum, quae ex ea proficiſcuntur, amplitudinem, vertices ſunt montium, in quibus Dei domus aedificatur.* Mea quidem ſententia de fidelium conditione & praeſtantia vix planius ſcribere potuit BASILIVS. Omnes enim fideles ſunt montes, vertices, & templa Dei. Inde excellenter ſcribit Petrus: *& Ipſi tanquam lapides vivi ſuperaedificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerte hoſtias ſpirituales bene acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.* 1. Petr. II. 5.

§. CVI.

Novum BASILII locum minio adornatum, & verborum faſciis involutum, nobis proponit GOTTIVS. Delibemus nunc illum ſine mora. Lege quaeſo illum: f) *Baſilius*, inquit, *in ſerm. de poenitentia, Petrus ter abnegat, & poſitus eſt in fundamento - : Tu es filius Dei vivi, laudatus eſt, atque illud audivit, tu es petra. Licet autem ſit petra; tamen non ut Chriſtus petra, ſed ut*

f) vid. l. c. p. 334. & in Baſilii Op. Tom. II. in Appendic. Homil. de ponitent. p. 606. edit. laud.

ut Petrus petra eſt. Chriſtus enim vere petra eſt immobilis. Petrus vero id eſt propter Petram ipſam. Largitur enim Ieſus dignitates ſuas, non ipſe inanis factus, ſed habens, quae dat. Et paullo infra: *Petra eſt, petram facit, propria largitur ſervis. hoc enim eſt ſignum divitis, largiri, & nihilominus habere, quae largiatur.* Facile praevideo, neminem niſi ſagacioris ingenii & in lectione Patrum verſatiſſimum virum, BASILII mentem eſſe intellecturum, niſi ipſius verba, quae mirum in modum mutilavit, & deturpavit GOTTIVS, rite tranſcripſero. Agedum ſuſcipiamus operam haud inutilem. Ita vero BASILIVS. g) Πέτρος τρὶς ἀπαρνεῖται, καὶ κεῖται ἐν θεμελίῳ. παῦλος ἀπὸ διωκτῶν κήρυξ. ἀλλ' ἐνταῦθά ἐστι ζήτημα ἀλλὰ τί λέγει αὐτός; Ἰησοῦς χριστὸς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον, ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ. τὸ ἴδιον ἐλάττωμα φανεροῖ, ἵνα δείξῃ τὸ μέγεθος τῆς χάριτος. ἀλλὰ πέτρος εἰπὼν καὶ εὐλογηθεὶς εἰπών, ὅτι υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ ὑψίστου, καὶ ἀκούσας, ὅτι πέτρα εἶ, ἐνεγκωμιάσθη. εἰ γὰρ καὶ πέτρα, οὐχ ὡς χριστὸς πέτρα, ὡς πέτρος πέτρα. χριστὸς γὰρ ὄντως πέτρα ἀσάλευτος. Πέτρος δὲ διὰ τὴν πέτραν χαρίζεται γὰρ Ἰησοῦς τὰ ἑαυτοῦ ἀξιώματα, οὐκ ἀποκενούμενος, ἀλλ' ἔχων ἃ δίδωσι. *Petrus ter negat, tamen in fundamento collocatur. Paullus ex perſecutoribus factus eſt praedicator. Sed hic quaeſtio eſt. Quid vero dicit ipſe? Ieſus Chriſtus venit in mundum, ut peccatores ſalvos faceret, quorum primus ſum ego. Declarat ſuum ipſius vitium, ut gratiae oſtendat magnitudinem. At dixerat Petrus, & benedictionem conſecutus dixerat: filius es Dei altiſſimi; cumque audiſſet: Petra es, praeconio nobilitatus eſt. Quanquam autem petra eſt, non ut Chriſtus petra, ſed ut Petrus petra: Chriſtus enim eſt vera petra inconcuſſa: Petrus vero propter petram. Nam Ieſus ſuas dignitates largitur, nec exhauritur: ſed quae tribuit, retinet. Primo* obſervamus, St. BASILIVM in laudata oratione non de Petri primatu, ſed Petri poenitentia & fide in Chriſtum agere. Exponit BASILIVS, Petrum quidem eſſe lapſum, ſed ſua non prorſus ſalute excidiſſe, quia collocatus fuerit in fundamento: κεῖται ἐν θεμελίῳ. Quae poſteriora verba male interpretatur GOTTIVS de ipſo Petro, qui fuiſſet fundamentum, quum tamen HENR. STEPHANVS h) ex multis THVCYDIDIS, XENOPHONTIS, & PLATONIS evictum

g) vid. l. c. p. 606. edit. Benedict.
h) vid. Ej. Theſ. L. Gr. T. II. ad h. v. p. 159. ſeq.

Digitized by Google

evictum dederit locis, verba: κεῖται ἐν αὐτῷ, ἐν γράμμασι, ſignificare, *poni in aliqua re, ſitum eſſe, & penes aliquem eſſe.* Ex hac ſcribendi apud Graecos ratione patefcit, BASILIVM non praeter linguae graecae genium, ſed ſecundum hujus linguae formam ſcripſiſſe, Petrum ter abnegantem fiducia & fide in Chriſtum poſitum & firmiter collocatum fuiſſe, & fundamento & firmamento arctiſſime adhaeſiſſe. Si BASILIO de ipſo Petro fuiſſet ſermo; ſcribere debuiſſet, ὁ πέτρος κεῖται θεμέλιον. Noſtram expoſitionem *ſecundo* plus BASILII verbis munimus. *Quanquam autem Petra. Chriſtus enim vere petra eſt inconcuſſa, Petrus vero propter Petram.* Explanat his ipſis BASILIVS verbis, quare Petrus dicatur petra? ob fidem nimirum in Chriſtum, qua dixerat; tu es filius Dei altiſſimi. Petrus igitur non per ſemetipſum eſt columna & petra, ſed propter petram, Chriſtum. Vix uno ſtadio differunt haec BASILII verba a Paulli effato fortitudinis & conſtantiae pleniſſimo. Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με χριστῷ. *Omnia poſſum in eo corroborante me Chriſto.* Philipp. IV, 13.

§. CVII.

Prolixior, ob rei neceſſitatem, fui in refutandis prioribus Patrum teſtimoniis, reliqua nunc breviter adjungam, ne officii mei leſim rationibus. Confugit GOTTIVS ad EPIPHANII Anchoratum, in quo adſeritur: i) *Talem oportebat eſſe primum apoſtolum petram illam ſolidam, ſuper quam eccleſia Dei aedificata eſt.* Operae pretium eſt totum ſermonis orbem adferre, quia alias nemo facile EPIPHANII intelliget mentem, praeſertim quum GOTTIVS quaedam tantum corraſerit verba. EPIPHANIVS hunc in modum diſſerit: ἆρα οὖν Θεὸς τὸ πνεῦμα. ὡς προεῖπον διὸ ναὸς Θεοῦ κληθήσονται καὶ οἱ ἅγιοι ἄνθρωποι κατοικήσαντες ἑαυτοῖς τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ πνεῦμα. καθὼς μαρτυρεῖ ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων, ὁ καταξιωθεὶς μακαρισθῆναι ὑπὸ κυρίου, ὅτι ὁ πατὴρ αὐτῷ ἀπεκάλυψε. τοίνυν ὁ πατὴρ ἀποκαλύπτει τὸν υἱὸν τὸν ἀληθινὸν αὐτῷ. καὶ μακαρίζεται, καὶ ὁ αὐτὸς πάλιν ἀποκαλύπτει τὸ ἅγιον αὐτοῦ πνεῦμα. ἔδει τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεὰν, ἐφ' ἣν ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ᾠκοδόμηται. καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. *Deus igitur eſt ſpiritus, ut ante dixi. Ideo templum Dei vocantur homines ſancti,* qui

i) vid. l. c. apud. Gott. p. 334. & apud Epiphan. l. c. p. 14.

qui ſancto Dei ſpiritui domicilium in ſeipſis praebent, uti princeps apoſtolorum teſtatur, qui felix a domino praedicari meruit, eo quod pater ipſi revelaſſet. Huic igitur germanum ſuum filium pater indicat, & beatus idcirco dicitur. At ille ipſe rurſum ſpiritum ſanctum patefecit. Sic enim ei, qui inter apoſtolos primus eſſet, conſentaneum erat, ſolidae inquam illi petrae, ſupra quam eſt eccleſia Dei fundata, & portae inferi non praevalebunt illi. k) Haud difficile eſt judicatu, quorſum reſpexerit EPIPHANIVS, vir alias in ſtylo obſcurus, hic autem ſatis planus. Demonſtrat, homines ſanctos & Chriſto addictos eſſe Dei domicilia, quod Petri exemplo probat, qui ſpiritui ſancto animum aperuit, & fidei edidit confesſionem omni exceptione majorem. Evincit ulterius, tam firmam immotamque fidem Petro inprimis fuiſſe conſentaneam, ut petra diceretur, quia ſupra hanc petram, Chriſtum videlicet, eccleſia erat fundanda. Haec non, ut GOTTIVS, comminiſcor, ſed ſtatim EPIPHANII verba mox ſequentia adduco: *κατὰ πάντα γὰρ τρόπον ἐν αὐτῷ ἐστερεώθη ἡ πίστις, ἐν τῷ λαβόντι τὴν κλεῖν τῶν οὐρανῶν, ἐν τῷ λύοντι ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ δέοντι ἐν τῷ οὐρανῷ. Omnibus quippe modis in eo ſtabilita fides eſt, qui coeli claves accepit, qui & in terra ſolvit & ligat in coelo.* l) Explicabo nunc breviſſimis tantum lineis locum, quem ex GREGORIO NAZIANZENO adfert GOTTIVS. *Vides, quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis utique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque eccleſiae fundamenta in ſuam fidem accipiat.* m) Denuo ipſa GREGORII verba in ſuo ordine & ſerie nobis ſunt recenſenda, quae ita fluunt. n) *βούλει δὲ καὶ ἄλλην παραστήσω σοι τάξιν, καὶ ταύτην ἐπαινετὴν, καὶ ταύτην ἀξίαν τῆς εἰς τὸ παρὸν μνήμης καὶ νουθεσίας; ὁρᾷς τῶν χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν καὶ τῆς ἐκλογῆς ἀξίων; ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται, ὁ δὲ ἀγαπᾶται πλέον, καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ ἰησοῦ ἀναπαύεται, καὶ φέρουσιν οἱ λοιποὶ τὴν προτίμησιν. ἀναβῆναι δὲ εἰς τὸ ὄρος δέησαν, ἵνα τῇ μορφῇ λάμψῃ καὶ τὴν θεότητα παραδείξῃ, καὶ γυμνώσῃ τὸν ἐν τῇ σαρκὶ κρυπτόμενον, τίνες συναναβαίνουσιν; οὐ γὰρ πάντες ἐπόπται τοῦ θαύματος. Πέτρος καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης, οἱ πρὸ τῶν ἄλλων καὶ ὄντες καὶ ἀριθμούμενοι. παρεῖναι δὲ ἀγωνιῶντι,*

καὶ

k) vid. l. c. l) vid. l. c.

m) vid. l. c. p. 334. ſeq.

n) vid. Ej. Oper. Tom. I. Orat. XXVI. p. m. 453. ſeq.

καὶ ἀναχωροῦντι μικρὸν πρὸ τοῦ πάθους καὶ εὐχομένῳ, τίνες; οἱ αὐτοὶ πάλιν. αὕτη μὲν ἡ τοῦ Χριστοῦ προτίμησις. ἡ λοιπὴ δ' εὐκοσμία καὶ τάξις, ὅση; τὸ μὲν Πέτρος ἐρωτᾷ, τὸ δὲ Φίλιππος, τὸ δὲ ἄλλος τις, καὶ οὐδὲ τὸ αὐτὸ πάντες, οὐδὲ τὰ πάντα εἷς, ἀλλ' ἕκαστος ἐν μέρει καὶ καθ' ἓν, καὶ ὅπερ ἕκαστος ἐχρῄζεν. εἴποις ἄν, ἀλλ' ἐκεῖνόγε τί σοι φαίνεται; βούλεταί τι Φίλιππος εἰπεῖν. καὶ οὐ θαῤῥεῖ μόνος, ἀλλὰ καὶ Ἀνδρέαν προσλαμβάνει. χρῄζει πυθέσθαι τι Πέτρος, καὶ Ἰωάννην προβάλλεται διὰ νεύματος. ποῦ τὸ αὐστηρὸν ἐνταῦθα, ποῦ δὲ φίλαρχον; Vis aliud quoque ordinis & diſciplinae exemplum in medium proferam, idque praeclarum & laudabile, ac praeſenti commemoratione atque admonitione imprimis dignum? Vides, quemadmodum ex Chriſti diſcipulis magnis utique omnibus & excelſis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque eccleſiae fundamenta in fidem ſuam accipiat, ille impenſius ametur, & ſupra pectus Ieſu requieſcat, ac reliqui diſcipuli eos ſibi praeferri aequo animo ferant. Iam cum in montem aſcendendum fuiſſet, ut Chriſtus corporea forma ſplenderet, cum divinitatem ſuam patefaceret, cumque, qui carne tegebatur, nudaret, atque aperiret, quinam ſimul aſcendunt? (nec enim omnes ad hujus miraculi ſpectaculum admittuntur) Petrus, Ioannes, & Jacobus, qui ante alios & erant & numerabantur. Rurſus cum animi anxio, & paullo ante paſſionem ſecedenti, ac precibus operam danti, quosdam adeſſe oporteret, quinam ad eam rem adſciti ſunt? Iidem illi. Atque haec Chriſti praelatio & electio fuit. Quid? reliqua moderatio ordinisque diſciplina, quanta? Aliud Petrus interrogat, aliud Philippus, aliud Judas, aliud Thomas, aliud alius quiſpiam, neque ut idem omnes, aut omnia unus, ſed viciſſim quisque ac ſigillatim. Dices hic fortaſſe, hoc ſingulos quaeſiviſſe, quod cuique opus erat. Quid? Quale illud tibi videtur? Philippus quiddam dicere geſtit, nec ſolus audet, verum Andream quoque adhibet. Petrus aliquid percontari cupit, & Ioannem capitis nutu proponit. Ubi hic morositas? ubi dominandi libido? Qua mente haec legerit GOTTIVS, vix hariolor. GREGORIVS NAZIANZENVS in his verbis omnem tollit inter apoſtolos dominatum, quem tamen GOTTIVS ſtabilire annititur. Adfirmat, Petrum, Ioannem, & Jacobum, ideo, quod Chriſtus illos ſecum in montem, ut glorioſi huius ſpectaculi eſſent teſtes, abduxit, caeteris ſe non praetuliſſe diſcipulis, quod ſane cum GOTTII de Petri primatu non conſpirat

 per-

terpretatur, & exinde ſedis Petrinae urget auctoritatem, his quidem verbis: *Porro cum is, qui hujusmodi litteris munitus incedebat, agnoſci deberet a Catholicis, non modo tanquam de fide recte ſentiens, ſed etiam tanquam habens veram cum eccleſia catholica communicationem, idcirco prioribus illis graecis Patris, Filii, & Spiritus ſancti, elementis additam arbitror a patribus primam apoſtolorum principis litteram, ipſummet Petrum exprimentem, in cujus ſede nimirum viguit ſemper totius eccleſiae catholicae unitas & principatus, adeo, ut ille demum vere catholicus eſſe probaretur, qui Petri ſucceſſori eſſet communione conjunctus, is vero haereticus, cui Romanae ſedis communicatio denegaretur.* p) Priusquam huic argumento FERRARIANO nervos incidamus, ſine periculo cauſae noſtrae, Romanenſibus concedere poſſumus, eccleſias & Orientalem & occidentatem per aliquot ſaecula intimo nexu fuiſſe junctas, & ex voluntate Chriſti ſvaviſſimum amaſſe commercium. Nec laude caret hoc inſtitutum, quo illi epiſcopi aut clerici, qui turbas in eccleſia una excitaverant, & fidei laeſerant puritatem, ab altera eccleſia in contubernium non ſunt admiſſi. Tuetur ſe haec conſvetudo ipſius Paulli praecepto, ex quo haeretici ſunt evitandi, Tit. III. 10. & corporis Chriſti carcinomata ex eccleſia eliminanda & ſeparanda, ne totum inficiatur corpus. 1. Corinth. V. 9. Obſervamus hunc morem in Sancti IOANNIS CHRYSOSTOMI cauſa, quae communionem per litteras formatas adſervandam epiſcopos inter Occidentales & Orientales penitus ſuſtulit, & tam diu duravit, donec Conſtantinopolitani epiſcopi CHRYSOSTOMI nomen e diptychis ſacris frivole eraſum penitus reſtituerint. Tradit enim THEODORETVS, q) occidentales epiſcopos, ARSACIVM ejusque ſucceſſorem ATTICVM non prius ſalutaſſe litteris, pacisque ipſis obtuliſſe ſtudia, quam CHRYSOSTOMI nomen albo ſanctorum intulerit ATTICVS. Planum eſt ex, interrupto hoc litterarum inter Epiſcopos commercio, nullum fluere ad Romanenſes auctoritatis fundamentum. Ficulneum enim eſt, quod nobis purpuratus offert BARONIVS, argumentum, quo tamen ceu clava Herculis innititur. *Primo* ex cerebello ſuo fingit, totius Eccleſiae catholicae unitatem in ſede Romana viguiſſe. Ad nauſeam usque a Theologis evi-

q) vid. Lib. I. Cap. V. p. 21.

p) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. V. cap. XXXIV. p. 189.

Digitized by Google

evictum eſt, unitatem Eccleſiae Chriſtianae minime in particulari, qualis eſt Romana, eſſe quaerendam Eccleſia. Etenim totius Eccleſiae Catholicae, quod mihi idem eſt, ac purae & Chriſtianae, unitas omnes, quotquot in remotiſſimis terrarum locis conditae ſunt, Eccleſias, veluti corpus ſua membra, complectitur. Quid, quaeſo, magis abſonum & a ſana ratione eſſet alienum, quam ſi dicerem, compagem & unitatem totius corporis in hoc vel illo individuo membro eſſe conſtituendam. En perverſam, contortamque unitatis eccleſiae catholicae interpretationem, ab unitate, quam depraedicat Chriſtus Ioan. XVII. 20 21. multis paraſangis diſtinctam! Ita vero ſoſpitator optimus Deum Patrem precatur: *non rogo tantum pro iis, (videlicet Apoſtolis) ſed & pro illis, qui per verbum ipſorum in me credent, ut omnes unum ſint.* Hic Chriſtus fideles in particulares enaſciturus eccleſias in unum quaſi colligit faſciculum corpusque, quod haec adfirmant dicta 1. Cor. XII. ſeq. Rom. XII. p. 4. ſeq. Quo igitur jure dici poteſt, in ſede Romana unitatem viguiſſe totius eccleſiae Catholicae? Quin imo prorſus falſum eſt, veritatem totius Eccleſiae in ſede Petrina floruiſſe, dum ſchiſmata, tempore VICTORIS Pontificis de paſchate enata, ſatis nota ſunt, quae deinceps ſecuta ſunt diuturna & extra & intra Romanae ſedis muros bella, quae minime unitatis notae ſunt & ſigna. Vera dixerit is, qui adfirmarit, Romanam ſedem unitatem eccleſiae Chriſtianae dilaceraſſe, & novis ſuis doctrinis, Chriſtianae fidei e diametro adverſariis, a vera Chriſti eccleſia ejusque fidei unitate recesſiſſe longius, quod vel luſcus intelligit. *Secundo* vitiligat, & enormiter dormitat BARONIVS, qui principatum in ſede Petri viguiſſe credit. A principio ſeu eccleſiae Chriſtianae primordio res non ita fuit conſtituta, quod poſtea edocebimus. Nullus viguit principatus, aut primatus, ſed ſumma fuit omnium presbyterorum & epiſcoporum aequalitas. Ubi vero VICTOR eccleſiae Orientalis Epiſcopis ſua oſtendit cornua valde minacia, tum demum intellexerunt pii Epiſcopi, cujus ſpiritus filius eſſet hic ementitus Petri ſucceſſor. Hoc ipſo criterio perceperunt fideles, inſtare nunc vaticinii Paulli in II. Epiſt. ad Theſſ. cap. II. 6. 7. 8. prolati complementum. Satis lubricum proinde eſt hoc argumentum a communicatione cum ſede Romana petitum. Recte enim mihi monere videtur IOANNES SVERIVS, r) hoc mutuum litte-

r) vid. Hiſtoire de l' Egliſe & de l' Empire Tom. III. An. 342. p. 47.

litterarum de rebus controverſis agendis, & componendis commercium neutiquam fuiſſe auctoritatis dictatoriae, ſed aequalis inter omnes Epiſcopos dignitatis documentum. Fidem SVERIO facit Abbas FLEVRIVS, s) qui adfirmat, Epiſcopos in ſuis conciliis, de rebus fidei inſtituendis, unionem inter ſeſe aluiſſe, & ſummam diſciplinae conformitatem amicitiamque.

§. CXI.

Etſi etiam eccleſiae, in qua lis agitata & compoſita eſt, eminentiae aſſignandus foret gradus, nihil tamen hoc argumentum juvabit Romanenſes: quia non ab Eccleſia Occidentali, ſed Orientali, controverſia ab ARIO mota, in concilio Nicaeno eſt extincta. Inde gratis hanc auctoritatem arripit ſedes Romana. Alienam prorſus gloriam ſibi adſciſcit Epiſcopus Romanus, qui ſe per HOSIVM CORDVBENSEM concilio praefuiſſe jactitat, quod ſuave Romanenſium ſomnium a RVFFINO, BELLARMINO, PETRO de MARCA & aliis prolatum, jamdudum a DORSCHEO, & ITTIGIO u) eſt infirmatum & exploſum. Omnis propemodum Romanenſibus periit pudor, dum dignitatem ſuam in concilio Nicaeno primo ſtabilitam temerario plane auſu & impudenti ſane fronte venantur, qui ſi canonem ſextum legerent, erubeſcere illos oportet. En ipſum canonem: *Et ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetuſta conſvetudo ſervetur, ut vel ille Aegypti, vel hic ſuburbicariarum eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* x) Omnis hic exulat eminentia & dignitas, ſed ſumma inter epiſcopum Alexandrinum & epiſcopum Romanum conſtituitur aequalitas. EDMVNDVS RICHERIVS, y) Theologus Sorbonicus, pro eo, quo eſt animi candore, aperte profitetur: *In hoc canone τὸ Romanum & τὸ catholicum opponi tanquam univerſale & paticulare: adeo, ut Romana eccleſia ſit pars & membrum univerſalis eccleſiae, ſicut Alexandrina & Antiochena eccleſia.* Commentis hanc adſcribit RICHERIVS Romanenſium perſvaſionem, qua totum orbem Chriſtianum tanquam pri-

Cc vatum

s) vid. Diſcours ſur l' Hiſtoir. Eccleſiaſt. Tom. I. Second. diſcour. p. 101.

t) vid. Ej. Concil. Nic. p. 39.

u) vid. Ej. Hiſtor. Concil. Nic. §. XXIV. ſeq. p. 26. ſeq.

x) vid. Hard. Act. Concil. Tom. I. p. 333.

y) vid. Hiſtor. Concil. General. Cap. II. §. XVI. p. 65.

Digitized by Google

vatum & peculiarem aliquem terrarum tractum intuentur. Nulla hoc Concilii Nicaeni decreto Romanae ſedi acceſſit auctoritas, ſed obelus ipſi eſt poſitus. Nam ante hoc Concilium Romani Epiſcopi non canone aliquo vulgato, ſed moribus & propriis inſtitutis, regebant eccleſiam, & ſuam extendebant poteſtatem, quod perapte obſervat MATH. LARROQVANVS. z) Omnem FRID. SPANHEIMIVS a) intendit nervum, ut argumenta Romanenſium ex hoc canone conſarcinata ſubvertat, quod pro more praeſtitit argumentis ſatis ſolidis. Cum ſale proinde Vener. DEYLINGIVS b) hunc canonem ita interpretatur: *Concilii Nicaeni patres canone ſexto Romanam pro catholica & univerſali non agnoverunt, ſed inter eccleſias ſingulares & particulares, qualis eſt Alexandrina & Antiochena, diſerte numerarunt. Nec ampliorem, quam Metropoliticam* ἐξουσίαν *& poteſtatem Romano Epiſcopo reliquerunt, exercendam ab eo non in univerſum orbem Chriſtianum, ut hodierni Romanae curiae paraſiti libenter vellent, ſed in Eccleſias duntaxat SVBVRBICARIAS ſecundum Ruffinum & veterem canonis Nicaeni interpretem, hoc eſt, in illas regiones, quae* ὑπὸ *&* περὶ τὴν πόλιν *urbi vicinae intra centeſimum ab urbe lapidem, & intra praefecti urbici jurisdictionem continebantur, quemadmodum expoſuerunt SALMASIVS, contra SIRMONDVM, JAC. GODOFREDVS, FRID. SPANHEMIVS.* Perſecutus eſt laudatus DEYLINGIVS c) hoc de Eccleſiis ſuburbicariis argumentum, & JACOBI SIRMONDI, EMMANVELIS SCHELSTRATII, ANTONII CAPELLI & aliorum fortiſſimorum Romanae Eccleſiae promachorum penitus eneruavit rationes, & GODOFREDI, SALMASII, SPANHEMII, MOLINAEI & BASNAGIORVM ſolide confirmavit ſententias, Eccleſias ſuburbicarias, juxta modulum ac pedem urbanae praefecturae omnino eſſe metiendas, id quod nec minus accurate demonſtratum ivit cl. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, d) in quorum ſuffragiis acquieſcere placet.

§. CX.

z) vid. Ej. Adverſ. Sacr. Lib. III. Cap. VIII. p. 519.

a) vid. Ej. Op. Miſcellan. Tom. II. Lib. IV. Diſſertat. I. de ſenſu Canon VI. Concilii Nic. I. p. 439. ſeq.

b) vid. Ej. Obſervat. Miſcell. Tom. IV. de S. Jrenaeo Evangel. Ver. Conf. & Teſte p. 51.

c) vid. Ej. Miſcell. S. Part. IV. Exercitat. VI. de Novit. Regim. Monarchic. Obſerv. VII. p. 462.

d) vid. Ej. Diſſertat. de Eccleſ. ſuburbicar. ed. 1730.

Digitized by Google

§. CX.

Prolixum foret, acutas & tortuoſas SIRMONDI & LAVNOII circa vocem *ſuburbicarium*, adferre explicationes, ex quibus intra anguſtos Italiae terminos ſeſe haud continet Romani epiſcopi imperium; ut potius ſeſe in remotiſſimas regiones extendat, & GALLIAM, HISPANIAM, NEAPOLIN, & alias regiones complectatur. Fuſius has enodarem interpretationes, niſi illas jamjam ſub incudem vocaſſet Du PINIVS. Operae pretium eſt, ejus ſententiam tranſcribere, quae ita fluit: *Nos autem ea, quae veri ſimiliora nobis viſa ſunt, ſine ullo partium ſtudio defendimus, ac tria, ni fallor, oſtendimus. Primum eſt, regiones & eccleſias ſuburbicarias eas minime dici poſſe, quae longe ab urbe ſemotae erant, nihilque abſurdius fingi, quam hoc nomine omnis imperii vel Occidentis provincias & eccleſias appellari. Secundum, provincias & eccleſias ſuburbicarias ultra centeſimum ab urbe milliare protendi. Tertium, veriſimillimum eſſe, eas omnes regiones, quae vicario urbis parebant, ipſamque Siciliam, provincias fuiſſe ſuburbicarias, & eccleſias ſuburbicarias eas, quae in iſtis regionibus poſitae erant, quarum Exarchus erat ſeu Patriarcha Romanus epiſcopus.* e) Si quis haec Du PINII rite penſitaverit, & rem in utramque partem accurate expenderit, intelliget, hoc limatum Du PINII judicium vero maxime eſſe ſimile. EDVARDVS BREREWOODVS, vir in re antiqua & eccleſiaſtica ſagaciſſimus, ab hac ſententia non recedit longius, cujus verba ut adferamus, rem perutilem nos facturos putamus: *poſtremo, quod ad jurisdictionem Romani patriarchae attinet; quanquam ego non in me recipiam abſolute eam determinare, tamen, quis ſit ſenſus meus, in hac cauſa oſtendere non pigebit. Illa igitur videtur mihi comprehendiſſe omnes illas Italicae Dioeceſis provincias, quas juris conſulti veteres, atque alii nominarunt ſuburbicarias. Numero autem erant decem, tres totidem inſularum, Siciliae, Corſicae & Sardiniae; & ſeptem in continente, quae totam propemodum Italiae partem anguſtiorem exhauriebant. Omnis enim Italia Orientem verſus ad eam pertinebat, ſed occaſum verſus Macra fluvius, qui Hetruriae tunc erat, & nunc quoque eſt terminus ad Tyrrhenum mare, & Aſius fluvius Aſiam non procul*

e) vid. Ej. de Antiq. Eccleſ. diſcipl. diſſert. Hiſtoric. I. §. ultim. p. 94.

ad ſinum Adriaticum illam definiebant. Nam Aſius ille, ni fallor, provincias Piceni ſuburbicarii & Piceni annonarii diſterminabat: quarum illa ſpectabat ad Romanam praefecturam, cujus urbs ipſa erat Metropolis: haec autem, cum caeteris in Italiae laxiore parte provinciis (quae ſeptem omnino erant) pertinebant ad dioeceſin Italiae proprie ſic dictam, cujus Metropolis erat Mediolanum. f) Ne vero haec comminiſci videatur laudatus BREREWOODVS, ſe antiqua vicarii urbis poteſtate & RVFFINI tuetur teſtimonio. Tot virorum illuſtrium ſententiis ſuperpondium feliciter adjecit CHRISTIANVS KORTHOLTVS, g) qui hunc canonem ſextum ſolide explicuit, & adverſus omnes Romanenſium cuniculos munivit. Intellexit ſatis hos Romanae Eccleſiae limites MARCVS ANTONIVS de DOMINIS, h) qui demonſtravit, Romani Pontificis auctoritatem, intra propriam ſubſiſtere dioeceſin, & limites univerſali dominio repugnantes, id quod ex hujus Concilii NICAENI canone & aliis teſtimoniis feliciter explicuit. Quod ſi vero hoc donarem Romanenſibus, hoc nomine intelligendas eſſe omnes regiones, quas mare ab Africa ſeparat; nihil tamen id juvaret turgidos Romanae ſedis praeſules, qui non contenti ſunt hac exigua terrae parte, ſed ſe totius orbis dominos lepide jactitant. Hac enim ratione primatum tantum obtinerent in Eccleſia Occidentali, & a Patriarchis vix uno differrent ſtadio. Tam cordatus eſt FRANCISC. PAGIVS, ut in noſtram tranſeat ſententiam, adſeratque hoc ex canone, Epiſcopum Romanum Eccleſiae praeeſſe Occidentali. Lege, ſodes, ipſa verba: *Apoſtolorum princeps Petrus, qui juxta Innocentium primum cunctas Occidentis inſtituit Eccleſias, in Metropoli Regni Aegyptiaci, Alexandria majorem ſedem inſtituendam duxit. Hinc Sanctus Marcus divi Petri diſcipulus ex ejusdem auctoritate Alexandriam pergens ad exemplar ſedis Romanae patriarchatum inſtituit, unde Nicaenum concilium canone ſexto ait: antiqua conſvetudo ſervetur per Aegyptum, &c. ac ſi diceret, ſedes Patriarchalis Alexandrina inſtituta eſt ad exemplar ſedis patriarchalis Romanae, ſed ſedes Romana habet poteſtatem ſuper omnes provincias totius Occidentis juri ſuo patriar-*

f) vid. Ej. Veter. Eccleſ. Gubernat. Patriarchal. Quaeſt. I. p. 71. Jac. Uſſerii commentat adauct.

g) vid. Ej. Diſquiſit. Anti-Baronian. Exercitat. in Canon VI. Concil. Nic. p. 352. ſeq.

h) vid. de Republic. Eccleſiaſtic. P. II. Lib. IV. cap. II. p. 360.

Digitized by Google

triarchico ſubjectas, itaque & Alexandrina poteſtatem habere debet ſupra Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, ſuo juri patriarchico ſubjectas. Et juxta hunc genuinum canonis ſenſum interpretandus eſt Ruffinus, ut per ſuburbicarias intellexerit totius Occidentis eccleſias, ſpeciali jure Epiſcopo Romano ſubditas. i) Egregie noſtram confirmat ſententiam canon quintus concilii, de quo verboſius egimus, Nicaeni, qui ita ſeſe habet: *De his, qui excommunicantur ab Epiſcopis ſuis per ſuas quasque provincias, ſervetur iſta ſententia ſecundum canonem, ut hi, qui ab aliis excommunicantur, ab aliis non recipiantur. Requiratur ſane, ne forte quis pro aliqua indignatione animi aut contentione, aut qualibet commotione ſtomachantis epiſcopi abjectus ſit. Ut ergo haec digna poſſint examinatione perquiri, rectum eſſe viſum eſt, per ſingulos annos in ſingulis quibusque provinciis bis in anno epiſcoporum Concilia fieri; ut ſimul in unum convenientes epiſcopi ex univerſis provinciis, bujusmodi examinent quaeſtiones: & ita demum hi, qui ob culpas ſuas epiſcoporum ſuorum offenſam merito contraxerint, digne etiam a ceteris epiſcopis excommunicati ſint: usque quo in commune omnibus, aut ipſi epiſcopo ſuo, placeat humaniorem circa eos ferre ſententiam. Fiant autem concilia ſemel quidem ante dies Quadrageſimae; ut omnibus, ſi quae ſunt, ſimultatibus amputatis, mundum ſolemne Dei munus poſſit offerri. Secundum vero fiat circa tempus autumni.* k)

§. CXI.

Adverſatur excitatus canon inani Romanenſium, de auctoritate in rebus ſacris agendis componendisque dictatoria, perſvaſioni e diametro, & plane edocet, judicium Synodi provincialis ultimum omnem componere litem, neque reſiduam eſſe Clericis ad ſedem Romanam provocandi poteſtatem. Uno verbo, ſupponit hic canon, ſententiam Epiſcoporum, a nullo alio judice, quis demum ille fuerit, infirmari poſſe. Ne vero quis clericus de illata ſibi ab Epiſcopo ſuo conqueratur injuria, decernunt patres Nicaeni, ut quotannis duo Provincialia celebrentur concilia, in quibus omnes Epiſcopi rem actam ſemel atque iterum ſub examen vocare, & eandem vel ſuo ſuffragio confirmare, vel mitigare poſſint. Ex hoc itaque canone,

i) vid. Ej. Crit. Hiſt. Chronolog. Tom. I. p. 414.
k) vid. Hard. Concil. Tom. I. p. 431.

Digitized by Google

none, quem prolixius adverſus CHRISTIANVM LVPVM vindicavit Du PINIVS, l) ſatis pateſcit, aliena jura appetere Romanos Epiſcopos, qui ſuos transſiliunt circulos, & aliorum epiſcoporum auctoritatem ſuae ſedi ſubmittere annituntur. Non leve porro ad corroborandam noſtram ſententiam a canone XVII. concilii SARDICENSIS depromimus argumentum, & noſtro inhaeremus veſtigio, ſuum imperium aliis eccleſiis obtrudere Romanam eccleſiam. Audiamus, indagandoque inveſtigemus illum, quem ſupra excitavimus, concilii SARDICENSIS canonem, ita conſtructum. *Oſius epiſcopus dixit: Quod me adhuc movet, reticere non debeo. Si epiſcopus quis forte iracundus, (quod eſſe non debet) cito & aſpere commoveatur adverſus presbyterum, ſive diaconum ſuum, & exterminare eum de eccleſia voluerit; providendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo habet poteſtatem is, qui abjectus eſt, ut epiſcopos finitimos interpellet, & cauſa ejus audiatur, ac diligentius tractetur; quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille epiſcopus, qui aut juſte aut injuſte eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium diſcutiatur: ut vel probetur ejus ſententia a plurimis vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum, qui fuerit a communione ſeparatus, ante cognitionem nullus alius debet praeſumere, ut communioni ſociet. Hi vero qui conveniunt ad audiendum, ſi viderint, clericorum eſſe faſtidium & ſuperbiam; quia jam non decet, ut epiſcopus injuriam, vel contumeliam patiatur; ſeverioribus verbis eos caſtigent, ut obediant honeſta praecipienti epiſcopo: quia ſicut ille clericis ſincerum exhibere debet amorem caritatis, ita quoque viciſſim miniſtri infucata debent epiſcopo ſuo exhibere obſequia.* m) OSIVS Cordubenſis aequo hoc in canone utitur judicio, & facilem omnes lites Epiſcopos inter & presbyteros diaconosve exortas demonſtrat, & ſubminiſtrat conciliandi rationem. Auctor ſuaſorque eſt, ut res controverſa, quam forte ira praepeditus, aut ſua fretus auctoritate, inique decidiſſet Epiſcopus, ſub incudem denuo vocetur, & aequa epiſcoporum provincialium lance expendatur. Quale inde praecipere poſſint Romanenſes rerum ſuarum praeſidium, non intelligo. Aſt praevideo tela, quae mihi objicient Romanenſes ex canone IV. aſtute colle-

l) vid. l. c. Cap. I. §. 1. ſeq. p. 98.
m) vid. Hard. Concil. Tom. I. p. 650.

collecta. In illo enim canone videtur OSIVS Romanum Pontificem, ultimum omnium controverſiarum judicem conſtituere. Vide ſis canonem illum, quem ſuum faciunt Romanenſes. *Oſius epiſcopus dixit: Quod ſi aliquis epiſcopus adjudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterum iudicium renovetur; ſi vobis placet, ſancti Petri apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis epiſcopis, qui in provincia proxima morantur, Romano epiſcopo. Et ſi iudicaverit, renovandum eſſe iudicium, renovetur, & det iudices. Si autem probaverit talem cauſam, ut ea non refricentur, quae acta ſunt; quae decreverit Romanus epiſcopus, confirmata erunt. Si ergo hoc omnibus placet, ſtatuatur. Synodus reſpondit: Placet.* n) Pro puppi proraque hic diſputat IO. CABASSVTIVS, o) ut ex hoc canone, pro auctoritate ſedis Romanae, conſuat argumentum. Sed res noſtra nondum eſt eo deducta, ut ipſi victas demus manus. Penitius hujus decreti viſcera perſcrutaturis, valida nobis ſe offerunt arma, quibus Pontificiorum transfodere poſſumus ratiunculas. In fronte hujus diſceptationis ſilentio non praeterimus ZONARAE p) ſententiam, qua, in enucleando hoc canone, opinatur laudatus interpres, reſpici ad Epiſcopos, qui ſedi Romanae fuerunt ſubjecti, ad quos pertinuerunt illo ſaeculo ditiones MACEDONIAE, THESSALIAE, ILLYRICI, GRAECIAE, & aliae finitimae regiones, quae poſtea pontificis Romani excuſſerunt jugum, & ad Conſtantinopolitanam ſeſe receperunt ſedem. Vix ſufficeret haec Romanenſibus ratio, niſi alia nobis ſuccurrerent argumenta; quia in hoc concilio SARDICENSI procul dubio & illorum epiſcoporum, qui ab his ditionibus, ſedi Romanae illa aetate ſubjectis, fuerunt remotiſſimi, agitur cauſa, & integrum ipſis relinquitur ab OSIO, utrum epiſcopi Romani velint implorare ſuppetias nec ne. Fortiora itaque ſunt argumenta, quae cum Du PINIO q) & LAVNOJO r) ex ipſius hujus canonis eruimus vinculis. *Primum* eſt merum OSII conſilium, & propoſitio; *ſi veſtrae dilectioni placet; Petri memoriam*

n) vid. Hard. l. c. p. 640.

o) vid. Ej. Notit. Eccleſiaſtic. Sec. IV. ad hunc concil. can. p. 139.

p) vid. Bevereg. Synod. Concil. T. I. ad h. canon. p. 489.

q) vid. lib. cit. diſſertat. II. C. I. §. III. ſeq. p. 109.

r) vid. Ej. Anti-Bellarm. ſeu Defenſ. Eccleſ. Gall. p. 133. ſeq.

Digitized by Google

riam honoremus. Ex his apparet, OSIVM rem novam SARDICENSIBVS proponere, illorumque arbitrio relinquere, utrum Romano Pontifici hunc honorem deferre & in rebus difficillimis ejus admittere velint judicium nec ne? Fruſtra inde elicitur auctoritas Pontificis Romani in eccleſias Africanas. Si enim ſedes Romana jus aliquod habuiſſet, aut illud antea exercuiſſet, quid quaeſo opus erat, hoc OSII conſilio, & qua ratione illorum arbitrio res ſatis confirmata, veluti libera & in illorum poteſtate ſita, poterat relinqui? Haud inſolens eſt, quod duo litigantes tertium ſibi unanimi conſenſu eligant cauſae judicem, eumque ſaepe inferiorem, in cujus deciſione acquieſcere ſolent. Experientia, optima rerum magiſtra, nos edocet quotidiana, reges, imo imperatores potentiſſimos, in diſſidiis componendis, alios ſibi eligere rerum arbitros, quos tamen aliis in rebus gerendis non agnoſcant ſuperiores. Non obſtant illa verba: *honoremus, ſi placet, Petri memoriam;* illa enim ipſa docent, Eccleſiam Romanam, quamdiu fuit ſana & pura, tanto omnino coruſcaſſe ſplendore, ut exterae eccleſiae, in rebus fidei & controverſiis dirimendis, magni fecerint illius ſententiam, quam in rebus gerendis ſine vitio implorarunt. Difficulter autem inde ejus in totam eccleſiam probatur imperium. Id aeque procedit, ac ſi eccleſia Lutherana Saxonica, quae in tradenda Auguſtana confeſſione, & potiſſimum in conficienda Formula concordiae, exterarum eccleſiarum adhibuit ſententias, propterea ſe his exteris eccleſiis agnovit inferiorem, aut ſubjectam. Accedit, Romanam Eccleſiam, aulae imperatoris Occidentalis proximam, multum omnino juvare potuiſſe alias exteras eccleſias, quae ab imperio Occidentali erant remotae, & quae, pro ipſorum temporum conditione, diviſo jamjam imperio, praeſidio videbantur privatae, quod ex ATHANASII exilio planum eſt. Ubi enim ATHANASIVS cauſam ſuam per JVLIVM vid Pagii Brev. Pontific. Rom. T. I. ad ſec. IV. in vita Julii §. IV. p. 87. epiſcopum ad CONSTANTEM detulit, ejus opera CONSTANTINVS Orientis imperator mitior ipſi factus eſt. Et hoc modo plus una vice opem Eccleſiae Orientalis epiſcopis miſere divexatis attulerunt Epiſcopi Romani ſatis exoptatam. Ex hoc vero ritu deinceps epiſcopi Romani jus ad ſedem Romanam appellandi, & poteſtatem de non appellando ad imperatores & reges, ſatis aſtute derivarunt, Abſolonem imitati, qui ſeipſum citra

divina

divina humanaque, jura, conſtituit judicem. 1. Samuel. XV. verſ. 4.

§. CXII.

Secundum, quod urgemus, argumentum eſt, proceres Concilii SARDICENSIS pontifici Romano non jus judicii deciſivi, ſed reviſionis concedere. Has nimirum praeſupponunt SARDICENSES rationes, ſi epiſcopus, dignitate per concilium provinciale privatus, cauſam putavit ſe habere juſtam, ob quam denuo ſub judicium vocanda; ſi lis renovanda, ex ſententia epiſcopi Romani ipſe conſtituat ex gremio ejusdem provinciae ſeu finitimis provinciis legatos aequos, & rei tractandae judices, quod canone s) ſeptimo ita confirmant: *Si juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere dignetur his epiſcopis, qui in finitima & propinqua provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & iuxta veritatis fidem definiant.* Apparet nunc, pontifici non datam eſſe poteſtatem decidendi, ſed eligendi & mittendi ad accuratiorem cauſae notitiam alios epiſcopos, & eos quidem finitimos. Et ſi vel maxime id demus Romanenſibus, epiſcopos Romanos ſuos miſiſſe legatos, id tamen nihil juvaret ipſos, quia conciliis non praefuerunt, & ſententiam ex ſuo arbitrio tulerunt, ſed vices Romani Epiſcopi in conciliis Oecumenicis, quibus epiſcopus, tanquam totius eccleſiae membrum, quam maxime intereſſe debebat, tantum ſubierunt, & pari, ac caeteri epiſcopi, auctoritate, ſua, de rebus controverſis, protulerunt judicia. Nemo denique neſcit, hos canones Sardicenſes nunquam ab epiſcopis Orientalibus conſtanter eſſe receptos, aut in conciliis ſero habitis confirmatos; proinde imaginarium eſt, quod inde conſarcinant Romanenſes, auctoritatis argumentum. Dignum itaque mihi videtur NATALIS ALEXANDRI t) de hoc Sardicenſis concilii canone judicium, cui meum addam ſuffragium. *Canones*, inquit, *de appellationibus ad Romanam ſedem a Concilio Sardicenſi edicti, iure divino non nituntur, ſed religioſo tantum deſiderio honorandi memoriam Sancti Petri. Jus itaque illud non eſt appendix primatus, ſancto Petro, & eius ſucceſſoribus a Chriſto traditi, nec perpetuum Romanae eccleſiae privilegium, ſed a Synodo*

 Sardi-

s) vid. Hard. l. c. p. 642.

t) vid. Ej. Hiſtor. Eccleſiaſt. Tom. IV. Diſſert. XXVIII. propoſ. I. p. 337.

Sardicenſi inſtitutum eſt. Me vero judice, Synodus Sardicenſis legem, ſi alias dediſſet, in fraudem & detrimentum totius eccleſiae, ferre non potuit. Nihil ergo nos moveret hic canon, ſi vel maxime ad Romanenſium eſſet palatum. Ovo vix ſimilius eſt ovum, quam antea dictis eſt BASILII u) ad Athanaſium epiſtola, in qua tradit, Orientalis eccleſiae patres Arianae haereſeos debellatores ad epiſcopum Romanum ſcripſiſſe, illumque, ad eradicandos Arianorum errores, vocaſſe in auxilium. En verba ipſa: ἐφάνη δὲ ἡμῖν ἀκόλουθον ἐπιστεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνταῦθα, καὶ δοῦναι γνώμην, ἵν' ἐπειδὴ ἀπὸ κοινοῦ καὶ συνοδικοῦ δόγματος ἀποσταλῆναί τινας δύσκολον τὸ ἐκεῖθεν, αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα, ἐκλεξάμενον ἄνδρας ἱκανοὺς μὲν ὁδοιπορίας πόνους ὑπενεγκεῖν, ἱκανοὺς δὲ πρᾳότητι καὶ εὐτονίᾳ ἤθους τοὺς ἐνδιαστρόφους τῶν παρ' ἡμῖν νουθετῆσαι. ἐπιτηδείως δὲ καὶ οἰκονομικῶς κεχρημένους τῷ λόγῳ, καὶ πάντα ἔχοντας μεθ' ἑαυτῶν τὰ μετὰ Ἀρίμινον πεπραγμένα, ἐπὶ λύσει τῶν κατ' ἀνάγκην ἐκεῖ γενομένων. καὶ τοῦτο μηδενὸς εἰδότος, ἀψοφητὶ διὰ θαλάσσης ἐπιστῆναι τοῖς ὧδε, ὑπὲρ τοῦ φθάσαι τὴν αἴσθησιν τῶν ἐχθρῶν τῆς εἰρήνης. *Nobis autem operae pretium eſſe viſum eſt, ad epiſcopum Romae ſcribere, ut res noſtras inviſat, & conſilium dare, ut cum illinc communi ac ſynodico decreto aliquos mitti difficile ſit, ipſe hoc negotium ſuo marte aggrediatur, eligens homines idoneos ad perferendos itineris labores; idoneos ad eos, qui apud nos perverſi ſunt, lenitate ac animi conſtantia corrigendos; apte & attemperate utentes ſermone, ſecumque habentes, quaecunque poſt Ariminenſe Concilium geſta ſunt, ad eorum, quae per vim illic acta fuerant, diſſolutionem; iique, nemine ſciente, citra ſtrepitum per mare huc adveniant, ut opinionem inimicorum pacis praevertant.* Ex his BASILII verbis hoc pateſcit, quod Orientales ad Romanum epiſcopum detulerant, id ordinarie quidem a toto aliquo concilio Occidentis fieri debuiſſe, & eos ita omnino cenſere, ſed quia Ariani, quorum poteſtas orthodoxis, illo tempore, quam maxime erat metuenda, eos, qui publice a concilio mitterentur, facile impedire, illisque haud leves remoras injicere poterant, conſilio rogarunt epiſcopum Occidentalem, ut ille nomine totius eccleſiae Occidentalis, tanquam ejus caput & Patriarcha, nonnullos emittat ad componendas lites legatos. Neutiquam porro transverſo oculo illa legenda ſunt verba; *ut ſecum habeant acta concilii*

u) vid. Ej. Oper. Tom. III. Epiſtol. LXIX. p. 162. edit. Benedict.

cilii Ariminenſis, ad ea diſſolvenda, quae ibi per vim facta ſunt. At quorſum haec reſpiciunt? Quorſum? Niſi, ut intelligatur, hujus concilii acta ſub limam eſſe vocanda, neque ex auctoritate Pontificis litem reſcindendam. Porro eluceſcit, ſociam tantum in ſuffocandis controverſiis attuliſſe epiſcopum Romanum operam, & in his conciliis Orientalibus, praeter illuſtre aliquod ſocietatis & concilii membrum, ne umbram quidem ſummi epiſcopi habuiſſe. Iterum enim iterumque Patres Orientales pontificis Romani ſuffragium aeſtimarunt ſupervacaneum. Planum enim eſt, haereſin PAVLLI SAMOSATENI a concilio ANTIOCHENO, MACEDONII errores a concilio CONSTANTINOPOLITANO, PELAGII ſyrma a conciliis MILEVITANO & CARTHAGINENSI, NESTORII haereſin a Concilio EPHESINO, ſine Latinorum teſſeris eſſe confutatam, quae omnia concilia ſuo non gauderent firmamento & robore, ſi epiſcoporum Romanorum quaeras in illis praeſidia, aut ſuffragia. Nodum itaque ille in ſcirpo quaereret, qui Epiſcoporum Romanorum poteſtatem latius extenderet, & Concilii Nicaeni canonem, de quo verboſius egimus, ſiniſtre explicaret. At hic anguſtus epiſcopatus Romani terminus ſufflaminatos mordet Petri ſucceſſores, qui veluti poma natare optant. Omne hoc in argumento fert punctum limatum cl. D. WERNERI judicium, quod in Diſſertatione ſub praeſidio illuſtris AVGVSTINI a LEYSER, x) Iureconſulti in Saxonia conſummatiſſimi habita, de hac appellatione ad ſedem Romanam, his tulit verbis: *Appellandi licentiae pontifices valde laxarunt habenas, tantum abeſt, ut illam repreſſerint. Cauſam hujus rei exhibent & acriter perſtringunt ZIEGLERVS, FLEISCHERVS, TITIVS, & alii. Dicunt, eam eſſe vanam, & nimiam paparum praeſumtionem, appellationes ad ſedem ſuam ab univerſis in toto terrarum orbe eccleſiis fieri debere, ut facultate appellandi dilatata eo copioſior ad aulam Romanam eſſet recurſus, & pontificis Romani jurisdictio in omnem terram ſtabiliretur. Quid multis? ut ſumma rerum potiretur, homines auro argentoque poſſet emungere, & omnia ab ipſius penderent arbitrio.*

Dd 2 §. CXIII.

x) vid. Diſſertat. Cl. Werneri de appellatione in cauſ. criminal. ex juribus Rom. Canonic. Germanic. Cap. III. §. I. p. 24. ſub ejus praeſidio habit. Witteberg. 1739.

Digitized by Google

§. CXIII.

Etenim a primis eccleſiae Chriſtianae natalibus res aliter fuit comparata, & aequalis omnium presbyterorum, & deinceps epiſcoporum dignitas. Ignoravit eccleſia per tria propemodum ſaecula univerſum, quod poſtea affectarunt epiſcopi Romani, imperium, donec larga eccleſiarum ubique locorum conditarum incrementa ſuaſerint Metropolitarum, & poſtea Patriarcharum ordinem, ex quo deinceps nova enata eſt regiminis monarchici forma. Quemadmodum enim Metropolitae toti provinciae, omnibusque ejusdem epiſcopis praefuerunt: ita illi, quos dixi, Metropolitae ſubdole ſuam adauxerunt poteſtatem, & ſenſim paullatimque totam eccleſiam provincialem ſibi ſubjecerunt. Extulerunt tamen poſtea Patriarchae ſuum caput, & Metropolitanos ſuo dejecerunt throno, ſibimetipſis ſummam, in re ſacra gerenda, vindicantes auctoritatem. Singularia autem eminentiae & dignitatis ſigna, Patriarchis propria, illa ſunt: *primo*, ut pluribus provinciae epiſcopis, imo ipſis Metropolitanis variarum provinciarum praeeſſent; *ſecundo*, ut Metropolitanos ordinarent; *tertio*, ut Metropolitanos ad Synodos vocarent, Metropolitani vero, de re agenda certiores redditi, epiſcopos ad Synodos convocarent: *quarto*, ut ultimum in rebus eccleſiaſticis judicium & ſententia deciſiva illis relinqueretur, neque ab illis appellari poſſet ad ſuperiorem rerum controverſarum arbitrum, quod argumentum, pro ingenii acie & rerum in eccleſia geſtarum notitia ſolide diluit B. IOANNES GVILIELMVS IANVS y) & diſſidia HENRICVM VALESIVM inter & GVILIELMVM BEVEREGIVM enata dextre compoſuit. Res Chriſtianorum ſaeculis ſequioribus, exantlatis vexationum laboribus, inſignibus auctae incrementis, poſtulare videbantur certos, qui provinciis praeeſſent, eccleſiae praeſides, ne quid reſpublica Chriſtiana detrimenti caperet. Inde enati ſunt Epiſcopi, Metropolitae, & Patriarchae. Concilium inprimis NICAENVM primum in canone VI. *) variis turbis & motibus, qui erant in eccleſia ſedandi, enatis, obicem poſuit, & ſummam totius eccleſiae gubernandae detulit tribus Epiſcopis, ALEXANDRINO, ROMANO, & ANTIOCHENO, quibus

y) vid. Ej. Diſſ. de Orig. Patriarch. Chriſtianor. ſ. XVI. ſeq. p. 20. edit. Viteberg. 1718.

*) vid. Harduin. Act. Concil. T. I. p. 325.

Digitized by Google

bus honoris & memoriae tantum gratia addidit HIEROSOLYMITANVM ſeu AELIAE Epiſcopum hoc canone VII. z) *quia conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Aeliae Epiſcopus honoretur: habeat honoris conſequentiam, ſalva metropoli propria dignitate.* Conſtitutis nunc tribus ſummis eccleſiae Chriſtianae praeſidibus, diviſio ſimul provinciarum facta eſt, ita, ut quilibet ſuarum provinciarum limites extenderet, & ſuam auctoritatem, faſtu Epiſcopis plane indigno, exercere intenderet praeſes. Aſt recte monet IO. PHILIP. SLEVOGTVS, a) hanc eccleſiarum per provincias diviſionem neque ex lege divina, neque ex inſtituto Apoſtolorum promanaſſe. Quantum enim apoſtolorum edocent acta, Paullus Corinthi, Ioannes Epheſi, & Petrus Antiochiae diu ſunt commorati, ſed neuter horum ſibi poteſtatem in hanc arrogare auſus eſt provinciam. Ex his itaque initiis admodum parvis enatum eſt illud regimen monarchicum, quod Romani Epiſcopi clam, precario, vi, & armata denique manu, arripuerunt, & conſtituerunt. Sed hic ſubſiſto, quum hoc argumentum FLACIVS b) ISAACVS BARROVS c) ERNESTVS SALOMON CYPRIANVS d) SALOMON DEYLINGIVS e) & IO. FRANCISCVS BVDDEVS f) tam ſolide explicuerint, ut rem ad liquidum deductam eſſe cenſeam. Addidiſſe juvabit duumviros, in hoc litterarum genere feliciſſimos, IACOBVM USSERIVM Armachanum, & WALONEM MESSALINVM, ſeu, qui hoc nomine latere voluit, CLAVDIVM SALMASIVM, quorum uterque operam non male collocavit. Demonſtratum iverunt VSSERIVS g) & quem dixi, SALMASIVS, h) epi-

Dd 3

z) vid. Harduin. l. c. conf. omnino cl. Dn. M. Chriſt. Erdm. Deylingii Aeliae Capitolinae Orig. & Hiſtor. §. XXV. p. 48. edit. Lipſ. 1743.

a) vid. Ej. Diſſ. I. de Diviſion. Eccleſiar. & Beneficior. §. V. p. 23. ſeq.

b) vid. Ej. Catalog. Teſt. Veritat. Lib. IV. p. 260.

c) vid. Ej. Works Vol. I. Treatiſe the Popes Supremacy p. 537.

d) vid. Ej. Solid. Demonſtrat. de Ortu & progreſſu Papiſmi, cap. XVII. p. 401. ſeq

e) vid. Ej. Obſervat. Miſcel. Part. IV. Exercitat. VI. de novitate Regiminis monarchici p. 421. ſeq.

f) vid. Ej. Diſſert. de Orig. & poteſtate epiſcop. §. XV. p. 48.

g) vid. Ej. Origin. Epiſcopor. & Metropolitar. p. 31. ſeq.

h) vid. Ej. Diſſertat. I. de epiſcop. & Presbyter. contra D. Petav. Lojolit. Cap. VI. p. 428. ſeq. edit. Lugdun. Batav.

Digitized by Google

epiſcoporum nomen ab origine eccleſiae Chriſtianae valde diffidere; jurisdictionem autem non niſi principum Chriſtianorum indulgentia eſſe acquiſitam, qua deinceps epiſcopus Romanus ad impudentiam usque eſt abuſus. Niſi vero me omnia fallunt, merito id, quod olim Scytharum legati ALEXANDRO M. dixerunt, larvatis Petri vicariis accidit. Audi obſecro horum legatorum verba: *Si dii habitum corporis tui aviditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet: altera manu Orientem altera Occidentem contingeres, adſecutus ſcire velles, ubi tanti numinis fulgor conderetur. Sic & haec quoque concupiſcis, quae non capis. Ab Europa petis Aſiam, ex Aſia tranſis in Europam.* Et paucis interpoſitis lineis: *Vide, ne, dum ad acumen pervenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis, decidas.* i) Nihil aeque eccleſiae unitati adverſum eſt, quam arrogata in alios dictatoria poteſtas, quo naevo a primis inde eccleſiae Romanae incunabulis laborarunt pontifices, qui eo potiſſimum nomine eccleſiae interpolarunt unitatem, quod imperium in totam eccleſiam non ſolum, ſed & in orbis imperatores affectarent, & monarchiam aliquam conſtituerent, quod ulcus Romanorum Pontificum HVTTENVS, aut quicunque demum ſit ſaeculi XI. ſcriptor, teſte FLACIO k) accurate detexit, & GREGORII VII. caſtigavit immanitatem. Inſatiabilis eſt Romanorum Pontificum imperium extendendi cupiditas, inde manus ſuas in omnes orbis protendunt partes, & ſe totius mundi epiſcopos & praeſules eſſe clamitant. Aſt verum eſt illud, quod idem habet CVRTIVS: *nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab invalido.* l) Ubi enim ad ſummum poteſtas Pontificum Romanorum pervenit faſtigium cacumenque, ab invalido certe monacho B. MARTINO LVTHERO eorum auctoritas adeo eſt infirmata, ut re vera jam eccleſiis ſuburbicariis contenti eſſe debeant pontifices. Quin & hae ſuburbicariae eccleſiae, ex mente SIRMONDI, HISPANIA, LVSITANIA, GALLIA, SARDINIA, Romanae ſedis imperium admittere noluerunt, ſed illi plus una vice cornua ſua oſtenderunt. Proſtant alia eaque plane invicta Conciliorum oracula, quibus adfirmatur, eccle-

i) vid. Curt. Lib. VII. cap. VIII. p. m. 389.

k) vid. Ej. Catalog. Teſt. Verit. L. XXIII. p. 1313. Libr. de unitate eccleſiae Gregor. oppoſit.

l) vid. l. c.

cleſias Orientales Romanae ſedis primatum nunquam agnoviſſe. Placet ſaltem eccleſiae Africanae perluſtrare concilia, quae ſatis edocent, illam Romanorum Epiſcoporum auctoritatem flocci aeſtimaſſe, illisque omnem ademiſſe in rebus gerendis dignitatem. Ita vero patres concilii MILEVITANI ſecundi in canone vigeſimo decernunt: *Item placuit, ut presbyteri, diaconi, & caeteri inferiores clerici, in cauſis, quas habuerint, ſi de judiciis epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini epiſcopi eos audiant, & inter eos, quicquid eſt, finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu epiſcoporum ſuorum. Quod ſi ab eis provocandum putaverint, non provocent, niſi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum ſuarum. Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.* m) Licet hujus canonis verba adeo plana ſint & pervia, ut ſoli lumen accenderet is, qui illa profuſa explanatione judicet digna, attamen novo colore hunc canonem palliat CABASSVTIVS, n) qui illum ita interpretatur; *advertendum eſt*, inquit, *canone iſto ſolos exprimi presbyteros, diaconos, & inferiores his clericos, quod indicium eſt, Epiſcopis non fuiſſe abſolute interdictas transmarinas, ſeu, quod idem eſt, ad apoſtolicam ſedem appellationes.* CABASSVTIO adſtipulatur FRANCISCVS PAGIVS, o) & canonem de inferioris ordinis clericis interpretatur. Aſt nugas apinasque vendunt CABASSVTIVS pariter atque PAGIVS, & illis, qui rerum olim in eccleſia geſtarum ſunt expertes, impudenter imponunt. Non quidem inficiamur, provocaſſe quosdam epiſcopos Africanos ad ſedem apoſtolicam, ſed quod ſedis apoſtolicae auctoritatem & ſententiam latam receperint Africani Epiſcopi, CABASSVTIO erat probandum. Contrarium facile demonſtratur ex cauſa APIARII, & diſſenſione epiſcoporum cum SOZIMO, BONIFACIO, & COELESTINO, quia Africani Apiarium, invitis Pontificibus Romanis, & FAVSTINO Africano, damnarunt, epiſcoporum Romanorum judicium repudiarunt, & ſe ne paſſuros quidem eſſe, ut legati mittantur ad Africana concilia, aperte pronunciarunt. APIARIVS Presbyter ab URBANO *Siccenſi* Epiſcopo ob corruptos mores

m) vid. Harduin. Act. Concil. Tom. I. p. 1221.

n) vid. Ej. Notit. Eccleſ. Sec. V. ad h. c. p. 201.

o) vid. Ej. Breviar. Pontif. Rom. Tom. I. p. 156.

mores dignitate ſua exutus, & ſede dejectus, ad Romanae ſedis auctoritatem & praeſidium tanquam ad portum confugit, & ZOSIMI manus imploravit auxiliatrices. Res ejus in ſynodo CARTHAGINENSI per legatos Pontificis Romani ſtrenue quidem eſt ventilata, ſed omni excidit fructu & eventu APIARIVS. Satis ſuperbe & impudenter Epiſcopus ZOSIMVS per ſuos legatos, haec quatuor momenta ad CARTHAGINENSES detulerat: *Unum, de appellationibus epiſcoporum ad Romanae eccleſiae ſacerdotem; alterum, ne ad comitatum epiſcopi importuni navigent. Tertium, de tractandis Presbyterorum & diaconorum cauſis apud finitimos epiſcopos, ſi a ſuis excommunicati perperam fuerint. Quartum* de urbano epiſcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, niſi ea, quae videbantur corrigenda, *corrigeret.* Aſt bona verba, quaeſo, mi ZOSIME! Fulgur fuit ex pelvi. Africani repulerunt haec Romanorum Pontificum tela, & aperte in ſuis decretis ſunt profeſſi, *primo* Africanos ſuis gaudere privilegiis, neque Romani epiſcopi admittere auctoritatem. *Secundo*, ſe firmiter inhaerere Concilio Nicaeno, quod appellationes ad alios epiſcopos auferret; *tertio*, ſe minime paſſuros eſſe, ut Romanus epiſcopus appellationes reciperet, aut legatos ad componenda diſſidia ablegaret cum illud privilegium ipſi nullo canone ſit indultum; *quarto*, rogant pontificem, ne fumoſum ſaeculi typhum in eccleſiam introducat, aut clericos exſecutores mittat. His ipſis telis infirmarunt imo expugnarunt Romanorum Pontificum imperium plane imaginarium, quod argumentum a Du PINIO p) BARROO q) utroque & SAMVELE r) & JACOBO BASNAGIO s) adeo eſt dilutum, ut prolixiore commentatione non indigeat. Multum lucis his, de quibus hactenus diſputatum eſt, litibus, attulit MATH. LARROQVANVS, t) qui invictis teſtimoniis & argumentis feliciter hanc diremit litem, & Africanis Epiſcopis ſua vindi-

p) vid. Ej. Antiq. Diſcipl. Eccleſ. Diſſert. II. §. III. p. 285.

q) vid. Ej. Works Vol. I. a Treatiſe the Popes Supremacy Suppoſition VI. p. 724. ſeq.

r) vid. Ej. Annal. Polit. Eccleſiaſt. Tom. III. p. 196.

s) vid. Hiſtoire de l' Egliſe Tom. I. Lib. IV. Chap. VI. p. 195.

t) vid. Adverſar. Sacr. Lib. II. Cap. XIII. de Jure Epiſcopi Carthagin. & Cap. XIV. de Primatib. & Metropolit. Africae p. 281. ſeqq.

Digitized by Google

vindicavit jura. Subit nunc mirari, GOTTIVM de auctoritate Romanorum Pontificum in eccleſia Africana tam confidenter ſcribere potuiſſe. u) *Reverentia in ſedem Apoſtolicam mire eluxit in Africana eccleſia, dum, cauſa Coeleſti ac Pelagii in duobus Africae conciliis examinata, acta omnia ad Innocentium I. Romanum Epiſcopum detulerunt. Quibus Innocentius reſpondit, ab Africanis epiſcopis hoc facto conſultum eſſe bonori illius, quem ſollicitudo manet omnium eccleſiarum, antiquae ſcilicet regulae formam ſecuti, quam toto orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Et bujus reſcriptum Africana eccleſia recepit. Imo S. Auguſtin. Serm. II. de verb. Apoſt. nunc Serm. 181. cap. 10. ait: jam enim de hac cauſa duo concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt; cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error. Et eodem modo de judicio Zoſimi papae ſuper actis Concilii Carthaginenſis contra Pelagium ſic loquitur S. Proſper in Chronico: concilio apud Carthaginem habito 214. Epiſcoporum ad papam Zoſimum ſynodalia decreta perlata: quibus probatis, per totum mundum haereſis Pelagiana damnata eſt.* Sufficiant GOTTIO, aut quisquis ille ſit, qui GOTTII provinciam in ſe ſuſcipit, quae ſupra expoſui.

§. CIV.

His itaque limitibus circumſcribunt Nicaeni Patres auctoritatem Pontificum Romanorum. Iſthmum proinde perfodere conantur Romanae ſedis paraſiti, qui adferunt: Concilii Nicaeni Patres Romani pontificis recepiſſe primatum, illumque litteris inſeruiſſe formatis. Demonſtrent quaeſo BARONIVS, & qui ejus ſequuntur auctoritatem doctores, quo canone haec Romani Pontificis auctoritas contineatur? Satis itaque habent Romanenſes hoc elabi ſubterfugio, deperditum eſſe hunc concilii Nicaeni canonem, ad quod aſylum plerumque confugere ſolent. Si vel unica tantum veſtigii vola de hoc canone in Vaticana Bibliotheca extaret, jamdudum prodiiſſet in lucem. Prodiit quidem, neſcio ex quibus latebris, incerti cujusdam JVLII epiſtola ad Orientales in lucem, in qua ad concilium Nicaenum provocatur, ſed illam JVLII epiſtolam eſſe ſuppo- Ee ſititi-

u) vid. Lib. citat. Cap. XIV. §. XIII. p. 358. ſeq.

ſititiam, B. HORNEJVS, x) ut alios taceam, ſolide demonſtravit. Proferant certum aliquod documentum? At hic haeret aqua. Quam infirma ulterius ſit haec communionis auctoritas, vel luſcus inde intelliget, quod Nicaeni Patres totius eccleſiae Chriſtianae unitatem in hoc articulo de SS. Trinitatis myſterio promovere & adſervare fuerunt anniſi. Si itaque in litteris communicatoriis hos adjiciendos ſtatuerint characteres, non opus erat littera π ſeu nomine PETRI, quia unusquisque facile inde colligebat, advenam his litteris inſtructum nulla laborare macula. Nam Occidentalis eccleſia ſeu Romana minime hoc negavit myſterium. Multiplicaſſent proinde Concilii Nicaeni Patres ſine neceſſitate entia, quod vitio ipſis erat vertendum. Summus erat hoc in articulo & Orientalis & Occidentalis eccleſiae conſenſus. Addo denique, Orientales epiſcopos hoc Romanenſium epiſcoporum imperium neutiquam recepiſſe, iisdemque hanc conceſſiſſe dignitatem, ut ſolius Petri in litteris communicatoriis fieret mentio. Addidiſſent, ſi hoc concedendum eſt, ſine dubio IOANNIS Apoſtoli nomen, quippe quod ipſis, ut ex controverſia Saeculo II. de jejunio Antepaſchali agitata novimus, maximo fuit in pretio. Ecquis vitio vertere poterat Aſiae epiſcopis, ſi nomen St. Ioannis ſuis litteris inſeruiſſent communicatoriis, & libere reliquiſſent Romanenſibus, utrum velint nomen Petri adhibere, nec ne. Non ſuſtinuiſſent Orientalis eccleſiae proceres hoc auſum. Certum itaque eſt, neque IOANNIS neque PETRI factam eſſe in hoc litterarum genere mentionem. Patres Nicaeni nullo verbulo ad communionem cum PETRO, ejusque ſede, alendam & confirmandam, ſed ad doctrinam de tribus Deitatis perſonis adverſus Arianos adfirmandam & defendendam provocerunt. Haud difficulter hanc litteram π de Petro recipere potuiſſent Ariani, qui Chriſti & Spiritus Sancti impugnabant Deitatem. Prout enim fuerunt ingenio admodum verſipelli & acutulo, ita facile patres Nicaenos, qui hunc evulgaſſent tenorem, graviſſimi erroris ſuperſtitionisque plane deteſtandae accuſare potuiſſent, quod apotheoſin gentilium introduxiſſent, & Apoſtolum Petrum in Dei commercium recepiſſent. Ariani aegre Chriſtum veri & eſſentialis Dei mactarunt titulo, ſed Deo patre Deum longe inferiorem ſtatuerunt; Ecquis igitur ſibi perſvaſerit, illos muſſitaſſe, ſi patres Nicaeni Petrum, de cujus

x) vid. Tractat. de Scriptur. ſ. Diſp. VIII. §. LVI. p. 1004.

Digitized by Google

cujus natalibus & ortu erant certiſſimi, tribus Deitatis addidiſſent perſonis. Retorſiſſent ſine dubio illa ipſa, quibus a ſenioribus Nicaenis erant transfoſſi, in hos patres tela, & illis haud levem aſperſiſſent labem. Conſideraturi autem Arianorum acta adverſus orthodoxos emiſſa, nullum hujus rei deprehendimus veſtigium, quod certe deprehenderetur, ſi hic canon ita eſſet interpretandus. Canonem enim ipſum tam longo temporis tractu Arianis incognitum fuiſſe, fidem omnem excedit, quia complures epiſcopi, repudiata fide Nicaena, ad illorum tranſierunt caſtra, ipſisque Arianis tanta Saeculis IV. & V. affulſit felicitas, ut imperatorum praeſidiis adaucti, hujus concilii arcana explorare, & ad intimam omnium canonum notitiam penetrare potuerint. Si itaque his litteris formatis in concilio Nicaeno traditis fides eſſet adhibenda, nemo ſaltem non hanc BARONII exſibilabit & explodet ſententiam, qua inſulſe plane & impudenter tribus Deitatis perſonis adjungitur Petrus. Maximam ſane is Patribus Nicaenis intulerit injuriam, qui tam impiam & propudioſam ipſis adſcripſerit ſententiam. Noverant, creaturam Deo Optimo Maximo minime eſſe ad latus adjiciendam, niſi quis omnem depoſuerit pudorem & venerationem ſoli Deo deferendam. Habes hic apertam apotheoſin, qua Petrus, qui primus epiſcopus Romanus fingitur, in Dei commercium evehitur, quo ipſo BARONIUS quaſi ſorex periit, & inſcius B. CHRISTIAN KORTHOLTI y) limatam ſolidamque de Apotheoſi Papaea, qua pontifices pennas ſuas ultra nidum extenderunt, & in coelum ad majeſtatis divinae ſolium evolarunt, confirmavit commentationem. Lege ſodes KORTHOLTI verba: *Et ne quid Pontificiae deeſſet ſublimitati, eousque progreſſi tandem ſunt Romanae curiae adulatores, ipſique etiam praeſides, ut ultra humanam, quid? angelicam ſortem papam extollere, imo divinitatem ei largiri non dubitaverint.* Si talia audent Petri ſucceſſores, quem ſtatues ipſi Petro honorem?

§. CXV.

Coronidem nunc huic argumento de litteris primitivae eccleſiae communicatoriis impoſituri, tantum abeſt, ut arctiſſimum hoc fidei caritatisque improbemus vinculum, ut potius illud ad inſtituta

y) vid. Ej. Diſſertat. de Apotheoſ. Papaea ad illuſtrat. dicti II. Theſſ. II. 4. §. 1. p. 5. edit. 1690.

Digitized by Google

eccleſiae chriſtianae omni laudis encomio mactanda referendum eſſe certiſſime ſtatuamus. Nulla denique nobis eſt dubitatio, quin mollior ſuaviorque futura eſſet rerum Chriſtianarum facies, ſi ſententiarum divortia, intempeſtivaeque lites conticerent, & aurea illa, quibus ſimpliciſſima viguit fides, redirent ſaecula. Nihil proinde piis & cordatis viris magis fuit in votis, quam ut omne Pontificios inter Lutheranosque reſcinderetur diſſidium, & arctiſſimum unionis vinculum reſtitueretur, confirmaretur, muniretur. Serio id optavit B. LVTHERVS, z) quod nonſolum in Articulis Schmalcaldicis, ſed & in epiſtola de ineunda cum Pontificiis unione ad principes Ratisbonae an. 1541. congregatos emiſſa, ſatis luculenter demonſtravit, nihil ipſi futurum eſſe exoptatius gratiusque, pacis otio, ſalva tamen manente doctrina Chriſtiana. Propoſuit idem ille magnus veritatis divinae praeco herosque Lutherus, Articulos Schmalcaldicos, ut ſcirent legati noſtrae religionis in concilio de ineunda pace inſtituendo, quatenus Pontificiis cedere, & in quibus capitibus conſtanter perſeverare poſſent. a) Tantum itaque abeſt, ut praefracta fronte Lutherus uniendae religionis repudiarit conditiones, ut potius Romanenſibus ultro obtulerit, tam pias & moderatas, ut ſe pontifici Romano morigerum, dictoque obedientem usque ad aram praeſtiterit filium. At enim vero fefellit B. Lutherum ſpes, dum Romanenſes fidei erroribus & abuſibus & cultibus praeter & contra verbum divinum inſtitutis nuntium mittere noluerunt, & Proteſtantes nefandae ab eccleſia Romana, tanquam matre, factae ſeceſſionis poſtularunt, a quibus tamen notis illam ſolide liberarunt CHILLINGWORTHVS b) vener. ERNEST. SALOMON CYPRIANVS c) GIESBERTVS VOETIVS d) aliique eximii eccleſiae doctores. Evanuit poſtea cum turbulento concilio Tridentino ſpes denuo Proteſtantibus enata. Viae denique diſſentientes in religione uniendi a FRANCISCO VERANIO, fratribus WAHLENBVRGICIS, VALE-

z) vid. ipſ. Epiſtol. in Spalatini Annal. p. 622.

a) vid. Praefat. Artic. Schmalcald. p. m. 298.

b) vid. William. Chillingworth. the Religion of Proteſtantes Chap. V. The Separation of Proteſtans from the Church of Rome p. 201. a Lond.

c) vid. Ej. Solid. Demonſtrat. de ortu & progreſſu Papiſmi Cap. XI. p. 959.

d) vid. Ej. Deſperat. Cauſ. Papat. p. m. 698.

Digitized by Google

VALERIO MAGNO, RICHELIO, KOEDDIO, MAIMBVRGIO, BOSSVETO, DEZIO & aliis propoſitae, tam lubricae & clivoſae fuerunt, ut non defuerint in Reformata & Lutherana eccleſia doctores illuſtriſſimi, qui, ſuo quisque ordine, ac modulo, demonſtrarunt, hunc Sirenum cantum, prout ſcripſit HECTOR GODOFREDVS MASIVS e) Theologus Hafnienſis haud incelebris, a Proteſtantibus cane pejus & angue eſſe evitandum, ne fidei faciant naufragium. Ut tandem perorem, pauciſſimis adfirmo, Proteſtantes Romanenſibus fidem dextramque eſſe datúros, ſi ad priſtinam, eamque primam, & ſanam redirent fidem Chriſtianam, in verbo Dei valide fundatam. Quamdiu vero Romana eccleſia has apoſtaſiae notas non prorſus extinxerit, & ad formam fidei morumqûe a Ieſu & Apoſtolis ſolide & ſufficienter traditam, ſcriptisque canonicis conſignatam, propius acceſſerit, tam diu illius in rebus fidei communionem & fraternae unionis ſodalitium effugiendi cauſas habemus graviſſimas, memores adhortationum divinarum de effugiendo cum Ieſu adverſariis commercio. 2. Cor. VI. 14. ſeq. Apocal. XVIII. 4. Quae quum ita ſint, multa ſtadia nobis videntur Pontificiorum inter & Proteſtantium unionem interjecta, rebusque ita comparatis, judice SCHERLOKIO f) & INFANTIO g) tam perniciosa, & in fidem noſtram iniqua unio magis evitanda eſt, quam anxie quaerenda & vere exoptanda. Quid enim quaeſo haec unio foret aliud, quam novum Augiae ingenti opera congerere ſtabulum. Tenebrae cum luce non ſunt commiſcendae.

§. CVI.

O ſi tandem aliquando Romanenſes cordatorum virorum votis, deſideriis, precibus, & piis conſiliis, relinquerent locum, & ſua prætermitterent religionis figmenta, infallibilitatem pontificum, dictatoriam illorum auctoritatem, veritatis divinae ſcripturaeque ſacrae larvas ſeu traditiones, bonorum operum merita, purgatorium, transſubſtantiationem, ſanctorum cultum, intercesſiones, imagines, reliquias,

 O quam

e) vid. Ej. Diſſertat. de Sirenum cantu, ſeu de unione Proteſtantium cum Rom. eccleſ. adverſ. Dezii Tractat. La Reunion des Proteſtants de Strasbourg. edit. 1688.

f) vid. Preſervatif. contre le Papiſme a la Hage 1721.

g) vid. Preſervatif. contre la reunion avec la Siege de Rome. Amſterdam. 1723.

O quam chara Romanae eccleſiae pignora! ſacrificium miſſaticum, & alia inſtituta rei Chriſtianae valde noxia, tum facilis leviſque foret eccleſias longo diſcrimine diſtinctas reduniendi via! Nulla amplius foret mora! Manibus protenſis ferremus ſuffragia. Tantum enim abeſt, ut Lutherani omnes reſpuant unionis paciſque conditiones, quod tot a B. Lutheri aetate celebrata facile probant colloquia, ut potius paci in eccleſia Chriſtiana reſtituendae ſerio inhient, longiſſime ab illo, quod HORATIVS h) de ſuo in VVLTEJVM MENAM animo ſcripſit, remoti proverbio:

Lupis & agnis, quanto ſortito obtigit,
Tecum mihi diſcordia eſt.

Id ſolummodo dolemus, religionis uniendae impedimenta noſtro aevo magis augeri, quam minui. Ecquis enim rerum ab origine Lutheranae religionis in eccleſia geſtarum adeo ignarus eſt & hoſpes, ut neſciat, omnia pacis conſilia a Romanenſibus clanculum concepta, nihil niſi aeſtus, furores, caedes, lanienasque Pariſienſes ſpirare, & ultimum pacis medium eſſe carceres, ferrum, ignem. Teſtis eſt Gallia, Reformatorum lacrymis & ſanguine diffluens. Teſtes ſunt Huſſitae & innumeri Proteſtantes in Romanenſium regionibus miſere extincti. Veſtigia ſane nos terrent, a tam impia & violenta uniendi ratione, quae quantum a ſcripturae ſacrae teſtimoniis, antiquae eccleſiae, & Patrum uſu diſtet, ſolide eſt evictum. i) Tune credis Romanenſium colori, & gypſatiſſimis, quibus aures Lutheranorum demulcent, pelliciunt, titillant, verbis? Tune putas, Lutheranorum ſalutem Romanenſibus eſſe curae cordique? Credat Judaeus Apella. Ne vero noſtro deeſſe videamur officio, ex intimis cum iis, quotquot in noſtra degunt eccleſia, theologis, veritatis aeque ac pacis ſtudioſis, Deum precamur animi viſceribus, ut ipſe pro ſua, qua valet, potentia, & ſapientia, his eccleſiae Chriſtianae ulceribus longo tempore inveteratis medelam afferre, & fidei Chriſtianae unitatem priſtino ſuo nitori in toto Chriſtiano, qua patet, terrarum orbe, reſtituere velit quam benigniſſime.

h) vid. Lib. Epod. IV.
i) vid. L. Impieté des communions Forcees, Chap. II. p. 30. ſeq. a Deventer 1689.

INDEX

INDEX

Dictorum partim explanatorum, partim vindicatorum.

Proverb. Cap. XXII. 2. §. XXXIII. p. 69 70.
Matth. Cap. XVI. 17. 18. §. XCV - XCVII. p. 162 - 167
Luc. Cap. XXII. 32. §. XCVIII. p. 167 - 172.
Joan. Cap. X. 30. §. I. p. 1.
- - XV. 12. §. XII. p. 26 - 28.
- - XVII. 21. §. I. p. 1.
- - XXI. 15. 16. §. XCIX. p. 172 - 173.
Actor. Cap. XVIII. 27. §. XLI. p. 82 - 83.
Rom. Cap. XVI. 1. 2. §. XLII - XLV. p. 84 - 91.
2. Cor. Cap. III. 1. §. XXXVI. p. 73 - 75.
Coloſſ. Cap. IV. 15. 16. §. XXII - XXVII. p. 48 - 56.
Tit. Cap. I. 12. §. XXXIII. p. 69 - 70.
Ep. ad Philem. tot. - §. XLVII. p. 92 - 94.
2. Petr. III. 16. §. XXVIII. p. 57.
Epiſt. III. Joan. - - §. XXVII. p. 92 - 94.
Apocal. I. 8. XXI. 6. XXII. 13. §. LXXXIII. ſq. p. 145 - 148.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

A.

Apoſtolorum litteræ publice prælectæ §. XXX. p. 60-63.
Apoſtolicorum ſcriptorum libri publice lecti §. XXXI. p. 64-68.

B.

Baſilii locus vindicatur. §. CIII. p. 181-183.
- novus locus eruitur. §. CIV. p. 183. 184.

C.

Commendatitiæ litteræ antiquæ ſunt ætatis. §. XXXIII. p 69-71.
- honeſtioris loci hominibus datæ. §. XXXV. p. 72.
Communicatio non involvit primatum. §. CVI. p. 167-169.
Communicatio in rebus componendis obſervata primatui Pontific. Roman. non favet. §. CVII-CXI. p. 169-183.
Communicatoriæ litteræ. vid. Tit. L.

D.

De diaconiſſis primitivæ eccleſiæ. §. XLII. p. 84.
Diaconorum & diaconiſſarum officii partes. §. XLIV. p. 87-90.
Diſcrimen inter litteras communicatorias & commendatitias notatur. §. XXXV. p. 72.
Domeſticæ litteræ ad hæreticos datæ. §. LXIII. p. 114-117.

E.

Eccleſia univerſalis & particularis. §. VI. p. 11. 12.
- ſancta, catholica, orthodoxa, apoſtolica. §. VII. p. 13. 14.
Eccleſia Lutherana eſt ſancta. §. VII. p. 13. 14.
- - - catholica. §. VIII. p. 15. 16.
Eccleſiæ unio alia eſt interna, alia externa. §. IX. X. p. 17-24.
Eccleſia eſt vel viſibilis, vel inviſibilis. § XII. p. 26-28.
Eccleſiæ veræ notæ. §. XIV. p. 30.

Digitized by Google

Eccleſiæ unio non ſavet ſedi Romanæ. vid. Tit. Vnio.
Eccleſiæ ſuburbicariæ. §. CVII. CVIII. p. 169 - 175.
Epiphanii locus vindicatur. §. CV. p. 184. 185.
Epiſcoporum dignitas primis ſeculis æqualis. §. CXI. p. 179 - 183.

F.

Formæ & characteres litterarum apud gentiles uſitati. §. LXXXI. - - LXXXIV. p. 142 - - 148.

G.

Gottius notatur. §. VI. - - XIX. p. 11. - 44. & §. XC. - CV. p. 155 - - - 185.
Gregorii Nazianzeni locus vindicatur. §. CV. p. 184. 185.

H.

Hoſpitalitas primorum Chriſtianorum laudatur. §. XXXIII. XXXIV. p. 69 - 72.

L.

Litterarum eccleſiaſticarum antiquitas eruitur. §. XLVIII. p. 95 - 97.
- - - antiquitas teſtimonio epiſtolæ Smyrnenſis firmatur. §. XLIX. - LVI. p. 97 - 106.
Litteræ eccleſiaſticæ ſpuriæ. §. LVII. p. 107 - 109.
Litterarum eccleſiaſticarum circularium natales & abuſus. §. LVIII. LIX. p. 109. 111.
Litterarum eccleſiaſticarum duplex uſus, alter fidei nota, alter hoſpitalitatis teſſera. §. LXI. p. 112. 113.
Litterarum communicatoriarum uſus traditur. §. LXII. - - LXVII. p. 113. - - 124.
Litterarum communicatoriarum veſtigia in noſtra eccleſia. §. LXVIII. - - LXXI. p. 124. - 128.
Litterarum communicatoriarum ætas. §. LXV. p. 117 - 120.
Litteræ commendatitiæ antiquæ ſunt ætatis. §. XXXIII. p. 69. 70.

Litterarum communicatoriarum & commendatitiarum ſigna & characteres. §. LXXVI. LXXVII. p. 136 - 139.

- earundem ſigna diluuntur & confirmantur. §. LXXX. LXXXV. - - LXXXVII. p. 141 - - - 152.

Litteræ commendatitiæ in ſacro codice explicantur. §. XXXVI. p. 73 - 75.

Litterarum commendatitiarum abuſus notatur. §. XXXVII. - - XXXIX. p. 75 - - 81.

Litterarum domeſticarum ratio. §. LXII. - - LXIX. p. 113 - 125.

Litterarum communicatoriarum & domeſticarum diſcrimen. §. LXIII. - - LXXI. p. 114 - - 128.

Litterarum communicatoriarum veſtigia in noſtra eccleſia. §. LXX. p. 125 - 127.

Litterarum commendatitiarum uſus. §. LXXII. LXXIII. p. 128 - 133.

- veſtigia in noſtra eccleſia. §. LXXIV. LXXV. p. 133 - 136.

Litteræ communicatoriæ unitatis teſtes. §. III. p. 3. 4.

Litterarum communicatoriarum tres claſſes. §. XX. XXI. p. 45 - - 48.

Litterarum communicatoriarum neceſſitas & utilitas. §. XXIX. p. 58. 59.

Litteræ apoſtolorum in ſacro conventu prælectæ. §. XXX. p. 60 - 63.

Litterarum eccleſiaſticarum tabellarii. §. LXVI. LXVII. p. 120 - 124.

Lutherani ab unitate eccleſiæ non receſſerunt §. XI. p. 24. 25.

Lutherana eccleſia non favet Simonis erroribus. §. XV. XVI. p. 31 - 39.

- non Socinianorum. §. XVII. XVIII. p. 39 - 42.
- non Gnoſticorum & aliorum hæreticorum. §. XIX. p. 43. 44.

N. Ni-

N.

Nicæni Concilii canon VI. vindicatur. §. CVII. - CIX. p. 169 - 176.

O.

Origenis duo loci vindicantur. §. C. - CII. p. 173 - 181.

P.

Peregrini doli & mors. §. XXXVIII. XXXIX. p. 78 - 81.

Polycarpi acta illuſtrantur. §. XLIX. - LVI. p. 97 - 106.

Pontificum Romanorum inſatiabilis poteſtatem extendendi libido. §. CXI. - CXIII. p. 179 - 191.

R.

Romana eccleſia cooperuit veram eccleſiam. §. XIII. p. 29. 30.

Romanenſes ex littera π. in litteris communicatoriis adhibita primatum Pontificis Romani gratis exſculpunt. §. LXXXVI. - - LXXXIX. p. 149 - 155.

S.

Sacramenti vox enodatur. §. LII. p. 101 - 103.

Sororis nomen in primitiva eccleſia uſitatum, ſed poſtea ſuſpectum. §. XLII. XLIII. p. 84 - 87.

Suburbicariæ Eccleſiæ, uid. Eccleſ.

Symbolo apoſtolico vox, una eccleſia, ſerius addita. §. III. p. 3. 4.

- - a Patribus Nicænis & aliis. §. IV. p. 5 - 7.

Syniſactarum origo. §. XLIII. p. 85 - 87.

U.

Unitas eccleſiæ a Jeſu ipſo inſtituta. §. I. p. 1.

Unitas eccleſiæ in ipſa unitate Patris & Filii fundata. §. I. p. 1.
- - eminet e litteris communicatoriis. §. III. p. 3. 4.
- - oraculis ſacris & dictis Patrum confirmatur. §. III. p. 3. 4.
Unitatis indoles. §. IV. p. 5 - 7.
Unitas tria requirit. §. V. p. 7 - 11.
Unio eccleſiæ non patrocinatur pontificum primatui, quod prolixe adverſus Gottium evincitur. §. XC. - - CV. p. 155 - 185.
Unio Lutheranos inter & Pontificios difficulter reſtituenda. §. CXIV. CXV. p. 191 - 195.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google